EX BIBLIOTHECA
SEMINARII MELDENSIS

Sect. N°
Series Vol.

Dedit D
Anno Domini 18

VILLA BURGHESIA.

VILLA
BURGHESIA

VILLA BURGHESIA

VULGO

PINCIANA

Poeticè descripta

AB

ANDREA BRIGENTIO

PATAVINO.

ROMÆ

Apud FRANCISCUM GONZAGAM,

MDCCXVI.

SUPERIORUM FACULTATE.



Digitized by the Internet Archive
in 2015

https://archive.org/details/villaburghesiavu00brig

Eminentissimo, ac Reverendissimo

GEORGIO CARDINALI CORNELIO Episcopo Patavino

Andreas Brigentius.

Dopus hoc Nomini tuo, CARDINALIS AMPLISSIME, *consecrandum non ea me solùm impulit cogitatio, quòd Musis omnibus paratissimum in tua Tutela perfugium esset,*

verùm etiam consilium id incitavit, ut tuorum in me magnitudinem meritorum: grati animi, quantum in me esset, officio prosequerer. Tot nimirum tantisque nominibus quidquid a me prò ingenii viribus ederetur, æquum erat dicari Tibi, ut siquid unquam elucubrandum susciperem, ea mente suscepisse videri possem, ut Amplitudini tuæ quasi votivum addicerem. Quòd si, ut animo meo impressam altius beneficiorum tuorum recordationem profitear, commemorare singula, & pro dignitate exornare dicendo velim, difficillimum sit epistolæ modum tenere, & exitum invenire. Sit instar omnium beneficium

ficium id longe maximum, me videlicet ab ineunte ætate educatum esse & instructum in Seminario isto tuo, quod a Te habitum in deliciis, singulari excultum vigilantia, & incredibili auctum beneficentia, ad eam Nominis jam pervenit celebritatem, ut, etiamsi alia multa Nobilissimæ Urbi deessent ornamenta, ipsum tamen unum satis superque Patavium illustraret. Utinam verò, quemadmodum mihi ad bonarum Artium comparationem Auspice Te nihil defuit, sic a natura eam indolem nactus essem, ut aliorum ingenia ad disciplinarum felicitatem, ad veteris eloquentiæ instaurationem, ad immortalita-

tem denique nata, æmulari potuissem! non esset profecto metuenda mihi reprehensio, quòd ex hoc instructissimo Encyclopædiæ velut Emporio sine maxima mercium copia discesserim. Hìc porro tacitus illud præterire non possum, quod & ipsum in amplissimi beneficii loco ponendum est, me nempe ad Urbem virtutum omnium Domicilium, Terrarum Orbis miraculum, uno verbo, ROMAM a Te missum esse, & ea missum honestissima conditione, ut docendi provinciam in Domo Burghesia susciperem. quod quidem vel me tacente quis non intelligat quantum sit? Neque verò, id gloriolæ adductum cupiditate commemo-

rasse

raſſe me, velim aliquis ſuſpicetur. Amens profecto ſim, meique penitus immemor, ſi quidpiam mihi in hac virium tenuitate blandiri velim. Quis demum aperte non videat, Te hoc de me cepiſſe conſilium, ut tanta muneris amplitudo, ac tanta Urbis magnificentia meum qualecunque, ſi fieri poſſet, ingenium excitarent. Hæc igitur, & alia multa effecere, ut, niſi ab officio deſciſcere turpiter vellem, conatus hosce meos Tibi uni, Mæcenas optime, devoverem. Sicut autem opus hoc offerre Tibi grati animi eſt, ita ſane ſubvereor, ne ſit arrogantiæ a Te poſtulare, ut vel minimam temporis partem, quod totum ſibi curæ graviſſimæ

po-

poſcunt, huic perlegendo concedas. Novi ego quidem, qui præſens vidi, quàm multæ quotidie, quàm graves, & quàm ancipites, ut in ampliſſima Diœceſi, Te res undique obſideant, atque diſtineant. quibus tamen rebus omnibus ſapientiſſime Te conſulere ſatis norunt quicunque Te norunt. Quod autem offero, ſi materiem conſideremus, eſt illud quidem Romanæ Magnificentiæ celeberrimum toto Orbe ſpectaculum, & vel florentiſſimis illis Temporibus invidendum; at ſi longe imparem in hoc ipſum a me impenſam operam reputemus, umbratile quiddam eſt, ac, pene dixerim, nugatorium. tametſi nullius tanta felicitas

men-

mentis est, nullius facundiæ vis tanta, ut suburbanos Burghesiorum Hortos, seu verius rerum omnium, quæ ad animi oblectationem, & ad aureæ Antiquitatis notitiam pertinent, exquisitissimum clarissimumque Delectum, assequi accommodata exprimendi ratione possit, & absentium oculis rite dicendo subjicere. Utcunque sese res habeat, insignis erit Sapientiæ tuæ reputare, quid tandem possit a tenuissimi ingenii homine proficisci: erit humanitatis, munus hoc tuæ quidem Dignitati valde impar at Tibi certe æquissimo jure debitum non rejicere, neque offerentis animum beneficiorum memorem sub-

mo

movere, hoc saltem nomine, ut ad majus aliquid, si fieri possit, audendum vel excites, vel impellas.

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

N. Card. Caracciolus Pro-Vicarius.

APPROBATIO.

JUſſus a Reverendiſſimo P. F. Gregorio Selleri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro legi *Villam Burgheſiam ab Andrea Brigentio Patavino poeticè deſcriptam*: in qua quidem attentè perlectâ nihil obſervavi, quod cenſurâ notandum videatur. Immò iis abſolutæ artis numeris perfectum Poëma omnibus ſuis in partibus animadverti, ut cultiſſimo Scriptori commendatio inde ſumma debeatur, & Poëſis non fucatæ cultores ex illo habeant, quod diſcant, ut Poëmata linenda cedro, & levi ſervanda Cupreſſo (quod Horatius ait) ſcitè, ingeniosèque conſcribant. Carminis enim pulchritudinem, & majeſtatem ſplendidâ cum ſermonis elegantiâ, candidâque puritate nexu tàm prudenti conjungit, ut non minus eruditum Poëtæ ingenium, quàm ſubactum judicium pari ubique laude emineat, argumentique dignitati Carminum nitor æquali venuſtate reſpondeat. Quapropter merito eſt, cur politiſſimus Brigentius inter Poëtas, quorum egregiâ famâ noſtra ſibi Italia placet, non poſtremus adnumeretur, cùm ea quidem ornamenta poſſideat, quæ cuique ex probatioribus inter eos non imparem produnt. Ampliſſima quoque Gens Burgheſia ex Brigentii Carminibus habet, unde ſpectatiſſimæ ſuæ Villæ, quæ profectò regium quid ſpirat, majeſtatemque inclyta Burgheſiorum Principum gloriâ undequaque dignam oſtentat, eximium decus apud exteras Gentes magis illuſtre cognoſcatur. Proinde,

ut

ut mea fert non inanis opinio, evenire non potest, quin Brigentii Carmina illorum omnium, qui rei poëticæ æstimatores æqui re verâ sint, suffragatione probentur.

Romæ e Cœnobio Minervitano Pridie Idus Decembris MDCCXVI.

Ita censeo F. Thomas Maria Minorelli Ord. Præd. Sac. Th. Mag. & Bibl. Casan.

IMPRIMATUR.

Fr. Gregorius Selleri Ordinis Prædicatorum, Sacri Apostolici Palatii Magister.

AU-

AUTHOR OPERIS AD LECTOREM.

Hoc primùm te, Lector optime, oro obtestorque, ut opusculum hoc nulla concepta animo expectatione percurras. Non enim ut ingenii vim aliquam ostentarem, musam meam in summa hac rerum difficultate detinui, sed eo forsitan non inepto consilio, ut nempe rationem aliquam invenirem, qua meæ fidei concredito Jacobo Burgheſio generoſæ indolis Juveni, & animi inſulſas quasdam Scholarum tricas magnanime faſtidientis, opportune conſulerem. Enimvero in ſpem veni minime dubiam fore, ut Nobiliſſimus Adoleſcens præclara Veterum Facta, & Poetarum commenta ad Authorum intelligentiam accommodata, Burgheſiæ Villæ magnificentia monſtrante, dulcedine aliqua illectus quaſi non ſentiens ediſceret. Ut autem Βατολογίαν *hanc prælo committerem, eò me impulit Viri maximi authoritas, cui profectò vel cum famæ diſcrimine atque adeo certa diminutione parendum erat. Deinde illud oro, ut quæcunque in hoc opere offen-*

de-

deris ethnicorum deliramenta, falsorumque deorum nomina & ficta gesta, me inseruisse pro certo habeas, vel ut rebus ipsis id postulantibus inservirem, vel ut Poesi necessaria quædam ornamenta ex rebus plane poeticis & ad animos oblectandos excogitatis afferrem. Cæterum insanas Veterum superstitiones, ut par est, execrantem, & ridicula Poetarum somnia irridentem, iis omnibus, quæ Romana docet Ecclesia, hoc est, Orthodoxa Religio, toto animi sensu me adhærere profiteor.

VIL-

VILLÆ BURGHESIÆ

Liber Primus.

Nclyta regali canimus Viridaria cultu,
Unde opibus peperit Burgheſia Dextra profuſis
Egregium tibi, Roma, decus. Quæ ingentia paſſim
Magnanimæ debes rerum molimina Genti,
Unde Quirinali, Janique a nomine Colli,
Et Vaticano clariſſima gloria Campo,
Exquiliis & tantus honos, hæc Fama per Orbem
Interea celebret, culti dum Septa Vireti
Noſtra canit primo deſudans Muſa labore.
Nec, ſi tu faveas, o Maxima Roma, canenti,
Aonidas libeat Phœbumve accerſere Pindo:
Tu mea Caſtalio perfundes pectora Fonte,
Tu mihi Pindus eris; gemino namque ordine Muſis
Sacraſti geminum majore ſub Auſpice Montem,
Dives alit Lauros cui Tibridis unda perennes.
Teſtor Aventinum, dulces inflare Cicutas
Audiſſe, & patrio modularier Arcadas œſtro,
Tanta olim Nemori venit laus unde Lycæo:
Priſca ſed Herculeo concedant Mænala Clivo.
Janiculum teſtor, numeros revocare vetuſtos
Ex adytis, Urbs alma, tuis audiſſe Quirinos,
Et tibi primævum eloquii reparare nitorem,
Unde tuis quondam effulſit lux aurea Roſtris.
At Latiis videas quidni ſuperata Camœnis
Ardua, purpureo duplex dum lumine Apollo
Prævius elata ſplendet ceu lampade? Magnus

Dum primo inſtaurat CLEMENS pretioſa metallo
Sæcula, & innumeris Heros parat unus Arenam
Vatibus immenſam? Tanto ſub Præſide Virtus
Florida, & auſpiciis auctæ felicibus Artes
Præmia certatim memores æterna rependent
Cultori, tantumque ferent ad ſidera Nomen.
Tu verò noſtris, Baptiſta o maxima Gentis
Gloria Burgheſiæ, mitiſſimus annue cœptis;
Et tua, quæ Hoſpitibus nutu recluſa benigno
Uſque patent, Colles ornantia Septa Latinos,
Sumptibus aucta tuis, noſtræ dare pervia (juſto
Si petimus voto) ne dedignere Thaliæ.

Romuleis dudum ſucceſſi ubi Mœnibus hoſpes,
Semiruta antiquæ paſſim veſtigia Romæ,
Et loca geſtorum famâ celebrata per ævum,
Prima oculos tenuere meos. Quos pectore motus
Senſimus attonito, nobis dum ſingula Ductor
Terrarum dominæ monimenta oſtenderet Urbis!
En tibi ſeptenos, inquit, quibus extulit olim
Roma ſuperba caput, tam claro nomine Montes.
Ecce Orbi dominata olim Capitolia: vertex
Ille Palatini eſt, Sedes ubi regia quondam:
Hinc tibi Aventinus, longo hinc ſe Cœlius offert
Culmine, & Exquilius, dictusq; a vimine Collis,
Inde Quirinalis. Media regione jacentem
Aſpice convallem: ſe hucusque effuderat Amnis,
Atque Lupæ hìc geminos ſugentes ubera Fratres,
Expoſuit quos Marte ſatos trucis ira Tyranni,
Fauſtulus invenit: ſimul hìc ſtrepuiſſe coacta
Plebe Forum, memorant. Sacras ibi Romulus aras
Alcidæ inſtaurat, ſumptosq; ex Hellade ritus;
Aſt illic tutum, Cives auctaurus, Aſylum
Externis aperit. Rupes hæc conſcia culpæ
Atque necis, Tarpeja, tuæ. Scelerata dediſti
Huic Vico nomen, dum curru invecta paternum
(Auſum immane!) rotis preſſiſti, Tullia, corpus.

Tem-

Templum erat hìc Jano, belli vel pacis, aperto
Limine vel clauſo, indicium. De more Quirites
Illo Circenſes dederant in pulvere Ludos.
En hìc Cæſarei moles immenſa Theatri,
Sidera pulſantis de nomine dicta Coloſſi,
Heu! longa ſemeſa die. Quem conſpicis, Arcum
Victori captiva Tito conſtruxit Idume;
Atque illum meruit virtus invicta Severo.
Hìc fuerat Campus Marti ſacer. Illa deorum
Sacra fuit turbæ, non læſa ætatibus, Ædes.
Hanc poſuere Patres ingenti mole Columnam,
Antonine, tibi; factisq; ingentibus illam,
O Trajane, tuis. Habuit locus ille tepentes
Agrippæ Thermas, hic Balnea vaſta Neronis.
Fragmina ubi Tibris jam vix extantia ſervat,
Romuleis aditus illic patuere Triumphis,
Illic marmoreus Ponti ſucceſſit acerno,
Solus ab hoſtili quem texerat agmine Cocles.
Tum Romæ decora alta novæ ſpectare cupido
Acriter inceſſit. Tota quæ vidimus Urbe,
Magnificas Ædes, Acuum miracula, Fontes
Veriùs at Fluvios miro conamine juſſos
Aerias tentare vias, Prætoria, Sedes
Auguſti PATRIS, Delubra ingentia, Cœlo
Ante alia æquatum (exhauſtis molimine tanto
Viribus ingenioq; Artis) Teſtudinis Arcum,
Non, Aganippæo totas e gurgite lymphas
Pectore ſi excipiam, Populis celebrare canendo
Ex æquo valeam (tanta eſt nova Roma!) remotis.
Attonitus mirabar opes, Artisque labores,
Cùm ſimul ipſa oculos Pomœria priſca vocarunt,
Nunc tamen umbroſæ (Procerum Viridaria) Villæ.
Hortorum cultus circà miratus amœnos,
Undique lauriferis præcinctaque Mœnia Septis,
Debuit haud alia, ajebam, redimire Corona
Terrarum ſublime Caput. Dum Septa Quiritum

Regia luſtramus, Villæ nos excipit ingens
Ambitus eximiæ, quæ Cultibus una vetuſtis
Viſa gradu certare pari; ni prædicet ultrò
Victricem, ſumptus vidit quæ Fama priores.
Apta Syracuſiis ſedes hæc viſa Camœnis;
Hæc Arbuſta juvant; juvat his recubare ſub Umbris.
Hìc dulces avium (tenui ſperare cicutæ
Si tantum fas eſt) imitabor arundine cantus,
Dum jubet externas Cultus celebrare per oras
Hoſce amor, & gratus memori ſub pectore ſenſus.
Cui tamen abſenti Latios celebrabimus Hortos?
Tu, mihi luce magis dilecta o Patria, vatem
Suſcipe; Dardaniis & ſi primordia flammis
Tu quoque avita refers, cognatæ lætior Urbis
Excipe (victuras utinam per ſæcula!) Laudes.

Extra Portam Pincianam. Villæ circuitus 24. circiter ſtad. ſeu 3. milliar. Ital. Interiores Villæ Ambitus 4.

ROMANA Collis quà Pincius exit ab Urbe,
Inclytus Hortorum cultu eſt Locus. undique celſus
Vicenis Paries ſtadiorum curſibus ambit,
Pervagus & ſpatium variis interſecat intus
Ductibus, ut quadruplex hinc dividat Ambitus Hortos.
Immenſi hæc ſumptus Burgheſia Villa (per aures
Quas ingens haud Nomen iit?) Quid Theſſala Tempe,
Quid vel penſilibus celebrem Babylona Viretis,
Septa vel Alcinoi, cultive Arbuſta Lycæi,
Quidve Hortos Luculle tuos, vel Cæſaris Umbras,
Vel tua Salluſti, Ætas hæc, Viridaria quærat?
Paſcere deliciis animos nam quidquid amœnis
Uſquam olim potuit, nobis Burgheſia præſtant
Una ſimul Tempe. Nos hìc porrecta Viarum
Exhilarat longe ſeries: hìc tonſilis Arbor
Mirificis deducta modis; & ab æſtibus Umbræ
Tutamen; fruticum varioq; e germine Silvæ,
Aucupibus notæ ſedes; &, amabile Nymphis
Hoſpitium, Nemora: hìc virides vel tempore brumæ
Colliculi, variûm turmas ubi pabula cernas
Carpere Quadrupedum: hìc tonſis Topiaria myrtis

More

More peregrino; jucundaque munera Veris;
Et late Assyriis halantes fructibus auræ
Dulcius: hìc passim ferientes æthera Fontes
Jugiter; & miris ejectæ lusibus Undæ.
Hìc multa in Caveis Ales colludit ahenis;
Squamigerumque genus Piscinis innatat amplis.
Miranda hìc Pario videas e marmore Signa,
Hìc Ædes, quales ætas non vidit Avorum.
JAM propè, magnificas immoto lumine Portas
Cernebam Villæ, positum ratus esse Triumphis
Arcum aliquem: tanta est sinuato fornice moles!
Aspicis innixum Foribus, Dux inquit, avitum
(Excubiis servet ceu credita Septa) * Draconem?
Hinc habeas, reparata istic Viridaria Lixi,
Quæ quondam Hesperidas fama est coluisse Sorores.
Jam tum, germani cùm barbara fugit Atlantis
Littora, & Ausonias petiit vagus Hesperus oras,
Hortorum cultum veteres docuere Latinos,
Credo equidem, profugæ expulso cum Patre Puellæ.
Delicias Hortis at sedula dextra Minorum
Addidit, & longe sumptus auxere profusi.
Dum parat hìc Ductor præclara exempla Quiritum
Subdere, versato panduntur cardine Portæ,
Atque prior Villæ mihi se cultissimus offert
Ambitus. Ecce ingens primo se in limine Circus
Objicit, hinc illinc Platani cui desuper umbras
Sufficiunt, quem Laurus obit circunsita densis
Frondibus, & vario intersecta subinde recessu,
Ordine ubi alterno videas simulacra dearum,
Et Tiburtino constructa sedilia saxo.
Turrita hinc fulget divûm Berecynthia mater,
Ac Populi mores imitata * Camœna Theatris,
Et spicis redimita Ceres; at Gorgonis hydros
Inde agitat Pallas, teretisque foramine buxi
Euterpe canit, atque Erato. Ceu Terminus, astat
Nympha utrinque illic; plenis hìc Flora canistris,

* Unû ex Insignibus stemmatis Burghesiorum.

HESPERIDES.

Primus Villæ AMBITUS.

In primo Villæ aditu Circus amplissimus, ubi haberi solet equestris exercitatio.

Statuæ 6.

* Thalia

Statuæ 4. in modum Terminorum sive Hermarum

Et vetus Hortorum Genius : ſua munera amicis
Offert Hoſpitibus verno circundata honore
Illa caput ; gravibus præcinctus tempora pomis
Aureola hic defert Hetruſcæ pignora Citri.
Hìc,ubi (Ductor ait) vaſtum patet æquor Arenæ,
Invicta Heroum Soboles, Burgheſia Pubes,
Excelſis animos jam nunc Natalibus æquans,
Creſcentes vires ſibi Gymnade firmat equeſtri.
Equeſtris exercitatio. Scilicet hìc (tenero quanta eſt in pectore virtus!)
Magnanimis inſidit Equis generoſa Juventus,
Atque exultantes preſſis moderatur habenis,
Acris & imperii ad leges mira arte fatigat
Dum jubet inſultare ſolo, pedibusque choreas
Plaudere compoſite alternis, dein carpere gyros
Ad numerum, & mediostransverſis greſſibus orbes
Findere, tum curſus alios, & inire recurſus
Inde alios: quales Dryadum de more caterva
Exercet feſtiva choros, dum Paſtor in umbra
Septenis ſocianda canit modulamina Avenis.
Ardua ſi cernas peragentes juſſa feroces
Naturâ Alipedes, greſsus & rite moventes;
Qui dorſo ſedeant, occulto noſcere ſenſu
Credas, atque onere eximio geſtire ſuperbos.
TERGEMINA egreditur vaſto longiſſima Circo
Tres Ambulationes ſeu Viæ maximæ Circo equeſtri ad Occidentem, ad Orientem, ad Septentriones Semita, cui triplex mittit ſua flamina Ventus
Obvia. Qui lævâ occiduæ de littore ſurgit
Heſperiæ, multo circundat flore capillos,
Et blando Septis aſpirat leniter ore;
Unde ſonant placido culta hæc Arbuſta ſuſurro,
Mitius & media ferveñt æſtate calores.
At qui dexter adeſt Phœbeo miſſus ab ortu,
Arva quòd Auroræ veniens Nabathæaque Regna
Lambit, odorato perfuſus viſcera Amomo,
Quacunque excurrit, jucundos efflat odores.
Quin ipſe Arctois Ventus qui prodit ab antris,
Quanquam alibi crines glacie nivibusque rigentes

Quaſ-

Quaſſet, & annoſas duro luctamine quercus
Decutiat, vulſisque trahat radicibus ornos,
Attamen hìc (rerum dominæ ſeu molibus Urbis
Egregiis parcat, ſive hæc Viridaria perflans,
Viribus actutum poſitis, emolliat horrens
Ingenium) facili clemens immurmurat aurâ.
Obvia tergemino triplex en Tramite Virgo;
Heſperidum os habitumque gerens & nomina: certas
Quæque ſuas peragit diviſo munere partes,
Conatusque ſuos, ſeriemq; ex ordine rerum,
Quas hic Hortorum princeps habet Ambitus, ultrò
Explicat Hoſpitibus. Laudes ad ſidera Callis
Jam mihi quæque ſui certamine tollit amico,
Ancipitemque tenet multo diſcrimine mentem,
Quam primam per amœna ducem Viridaria ſumam.
Quisquis es (ante alias jucundo ait ore, Favonî HESPERE-THUSA
Heſperethuſa comes) noſtros qui adveneris Hortos,
Vulgarem haud præfers animum, nec numine divûm,
Ut reor, adverſo vitali veſceris aura:
Si tibi per partes libet hos inviſere Cultus,
Me duce carpe viam. Noſtra hæc quam Semita Frontem Via maxima e Circo equeſtri ad Occidentem.
Ecce procul nacta eſt! quæ priſca ibi Signa refulgent!
Chaonias haud paſſa homini dare pabula Silvas
Quæ prima inventis Orbem ditavit ariſtis, Statuæ 3. in proſpectu.
Primaque deſcriptis firmavit legibus Urbes,
Frontis habet dea ſculpta latus; latus obtinet auſus Ceres.
Sacrilega Cereris Quercum violare bipenni
Theſſalus*, ulta famis rabie quem diva cruentæ. *Eryſichthon
At medium tenet ore truci manibusque revinctis
Mole ingens Parthus, Latio ſubducere ab Hoſte
Quem fuga non potuit jactis poſt terga ſagittis,
Agmina dum Pacori nimium bis Marte ſecundo
Effera* Ventidius fregit,* Ducis umbraq; adempti * Ventidius Baſſus M. Antonii Legatus. * M. Craſſi.
Dum placuit Superis ut non erraret inulta.
Jam Via ſi toto noſtra hæc pulcherrima curſu
Cernitur, en lævâ ut Muri latus obtegit alti

Del-

Delphica perpetuò foliis viridantibus Arbor!
Parte alia nexis ceu recto en agmine virgis
Lentiscus densata, comas & tonsa perennes,
Adverso ut Muro surgit velut æmula! Postis
Calle vides medio, sinuatis frondibus, Arcum?
Via minor dextrorsum, lõgissime excurrens, Transversam longo cernas excurrere tractu
Inde Viam ad Boream, quam tegmine adumbrat opaco
Multa Ilex, junctis sublimi e vertice ramis
Sponte sua: nempe hìc Arti consentit amicæ,
Atque libens genio indulget Natura, Locorum.
Caput ingens marmoreum in prospectu. Extremo videas obtecti in limite Callis
Trunca Alcibiadis (metuenda Laconibus) ora,
Invictæ bello steterant quo vindice Athenæ,
Exule conciderant. ejecto Patria Cive
* Triginta, quorum omnium immanissimus. Critias. At pœnas ingrata dedit tot pressa * Tyrannis.
Vincula captivum religant ubi bellica Parthum,
Via maxima deflectens ad dexteram. Hinc latus ad dextrum deflectit nostra meatum
Semita, consepit quam denso ibi caudice utrinque
Parvula Cupressus. Labentes excipit undas,
Urna in prospectu. Prospectatque Viam Thermis educta vetustis
Urna ingens, dorso Alipedum suffulta duorum,
Erecta cervice tenus qui membra natantis
Squamea piscis habent: pulsis sua regna procellis
Siquando libuit curru pervadere, tales
Supremum Oceani vexere per æquora Regem.
Hippodromus. Flexa ineunte Viâ, vallatum segmine acerno
Hippodromi spatium videas: quale Elidis arvo
Curriculum metasse ferunt uno ætheris haustu
Currentem Alciden. vetus extulit Hellas in astra
Id Stadium, & decorata suis Pentathla Coronis.
Exercitationes equestres in Hippodromo. De more hìc Cursus (visu mirabile) Equorum
Ad metas initus volucres rapidissimus auras
Provocat: appensos districta hìc cuspide circlos
Figit Eques; simulacra ciens dein ludicra belli,
Thracis in effigiem vel robore fertur acuto,
Atque caput, ceu victor ovans, extollit ademptum;

Vel

Vel celer obductum squamis in Pectus ahenis
Involat, atque hastam ficto perfringit in Hoste;
Vel demum jaculis, ignitæ ac fulmine glandis,
Præteriens certo Clypeum transverberat ictu.
Haud equidem priscos optarim visere cursus,
Aut veras imitata Equitum certamina pugnas,
Quæ vel Olympiaco celebravit Græcia Patri,
Vel pius Æneas Aulâ susceptus Aceste
Manibus Anchisæ Siculis devovit in oris.

Calle suo ast Euro comitata Arethusa, per Hortos
Prima mihi dux esse velit. Tua lumina judex ARETHUSA
Advertas huc, Hospes, ait: plano æquore, vasto
Curriculo, & stadiis prolato limite binis,
Aspice, ut ante alias invitet Semita gressus Via maxima e Circo equestri ad Orientem.
Nostra tuos! Celso en dextrâ munimine vallat
Obtectus Lauro Paries; en agmine denso,
Parte alia, directa manu Lentiscus obumbrat
Fronde Viam tonsa. Passim permixta virentes
Germina Lentiscos una dum lege sequuntur,
Miranda hinc oritur tam longo Tramite Sepes;
Quam tamen egrediens, Arcu frondente, Viarum Duæ viæ minores sinistrorsum longissimè excurrentes.
Bis dirimit cursus. geminis umbracula texit
Callibus ex alto complexis frondibus Ilex.

Aspice (longinqui fugiant ni lumina Fines)
Quæ procul aspectent nostrum Fastigia Callem! Statuæ 2. in prospectu.
Magnificos cernis Postes? innititur ulmo
Hìc trunca Liber, cæsæ dum pelle superbus
Tigridis, invictos primæva ætate lacertos
Ostentat, Phrygas & Syrios Indosque subactos
Ceu memorans: validam sed mox domitura juventam,
Ingenio tenebras mox offusura nitenti
Ebrietas. illic venatrix Delia vires
Plusquam fœmineas agitat, dum missile vibrat
Vel citimas tutata Fores, vel bella Draconum
Sedatura, videt quos celso e Poste minaces.

Egrediens nostro quà primus ab æquore Trames

Ex-

Prima Via minor ad finistram excurrens, in qua duo Circi.
Excurrit lævâ, bini pulcherrima Circi
Ornamenta offert. geminos ibi sidera Fontes
Videris, invita rerum vel Matre, petentes.
Isidis Ascanio prognatæ Flumine amores,
* Hylam. Herculis & * Comitem muliebri fraude sub imas
Correptum Fluvij sedes, animosque pudici
Hinc refugos Pueri, ac superas nitentis ad auras,
Fontibus esse canant alii salientibus Ortum.
Ex alto quæsita Jugo primordia lymphis
Hinc procul, atque Tubis deducta Fluenta sepultis,
Quin & pensilibus devecta meatibus Unda,
Romuleos celebrant ventura in sæcula sumptus.

Primi Circi ornamenta.
Circus ubi primus, vastum consurgit in orbem
Hìc Lacus excelsi clausus ceu littoris orâ:
Ingens elato residet fulcimine Concha
E medio subvecta Lacu, qua nititur alte
Mole minus Labrum. Depressa canalibus imis
Hactenus, erumpens (quà nunc datur exitus) urget
Mirificis æquare altos conatibus ortus
Ceu memor Unda suos (illustres discite Mentes,
Cùm tales addant stimulos Natalia lymphis)
Dein sparsim huc illuc jucundo lapsa fragore
Depluit, inque sinus amplæ suscepta Lacunæ
Haud secus exultat, quàm cum ferventis Aheni
Clausa sinu tumidis æstu furit excita bullis.
Marmoreæ Sedes, duodenaque Signa coronant,
Et Platani circùm frondoso tegmine obumbrant
Statuæ 12. Rite locum. Hìc gestans humeris horrenda Leonis
Tergora & armatus nodoso Robore dextram,
Eminet Alcides, qualis vel Monstra peremit,
Vel rediit Phlegra defenso victor Olympo
Palladis auspiciis. instructa sed ægide & hastâ
Non procul ipsa dea est, tibi quæ pro talibus ausis,
Ut reor, Alcide, clari monimenta Trophæi
Hìc statuit Platanos; Persæ nam Regis amore
Elatæ nimium, visæ præferre superbo

Ver-

Vertice Titanas. reparata en fulmina ſubdit
Jupiter ipſe tibi: ſonitûs licet arte Typhœa
Sopierit Phœbus, clauſoque redemerit Antro
Tela Patris, tamen ipſe tuum decus omne Triumphi
Eſſe jubet: lætus calamis tibi plaudit ovanti
Pan deus Arcadiæ: patrio Tiberinides Amne
Plauſibus excitæ feſtinavere Sorores:
Quin tibi cœlicolûm latices Puer ipſe Tonantis
Temperat ambroſios. at ſi direptor ab Hortis
Heſperidum forte huc redeas (nam Poma rapaci
Aurea fers lævâ) percuſſo Mala Dracone
Hinc quoque rapturus, ſacro tibi Jupiter igne
Obſtet, & arcipotens ſocia cum Pallade Phœbus.
Alter ubi Circus, ſimilis Lacus eminet alto — Alterius Circi ornamenta.
Hìc etiam incluſus ceu littore: Labra perennem
Hìc paria excipiunt labentem leniter imbrem.
Ordine Signa pari ſubſtant. Hìc viſa peremptum — Statuæ 12.
Flere Thetis Natum mœſtiſſima mater Achillem:
Infelix! totum quòd non immerſerit undis
Infantem ſtygiis, ſeu quòd, Lycomedis Alumnas
Inter, bello aptum Scyros male texerit, Arma
Dum vafer expoſuit coràm mercator Ulyſſes.
Hìc tamen eſt aliquod ſolamen nacta doloris,
Dum videt anguiferum (tibi, Phœbe, Coronide natum) — * Æſculapiũ.
Stare * Virum propiùs, venatricemque Dianam:
Quippe ſubit, Triviæ precibus, revocatus ab Orco
Hippolytus mira arte Senis, licet avia raptus
Per nemora, & pavidûm curſu diſcerptus equorum.
Spes inde exoritur. Miſeræ ſed vota Parentis
Irrita: nam ſævis infenſum numen Achivis
Cypris * adeſt: hæc ſi Thetidi adverſata precanti, — Venus.
Nequidquam præſens vel numine Pallas amico
Pelidæ vitam imploret. Sub corde furentem
Attenta, ſupereſt, ut leniat aure dolorem
Ægra Parens, dum Calliope & Polyhymnia lætum
Fundere viſa melos. quin exercere choreas

Cum

Cum Faunis viſæ circà pede Najades udo.

Altera Via minor ad ſiniſtram excurrens.

At verò alterius quaſi limine Callis in ipſo
Se Spatium (tanti laus hæc non infima Septi)
Explicat in gyrum, * Moles ubi nixa columnis
Surgit ab effoſſa circùm tellure; coronat
Hanc Vallo ſimilis Paries, quem nexibus ultrò
Perpetuis Hedera obducit bene fida Lyæo:
Namque caua ſubter teſtudine * Regia Bacchi
Conditur hìc alte. vinclis & carcere Ventos
(Vim veritus nimiam) premeret dum Jupiter olim,
Crediderim haud tantis fremuiſſe incluſa Cavernis
Æolium contra luctantia Flamina Regem.
Huc quondam Bacchus Nyſa conceſſit ab alta,
Quòd jam Nyſæos exhauſerit ille liquores,
Et plures huc Rura vehant Burgheſia, Tellus
Et quales haud priſca tulit. quid Maſſica Patres,
Cæcuba, Setinosve cados, laticesve Calenos,
Vel Surrentinis domitas in Collibus uvas,
Vel Bibulo celebrent quid Conſule preſſa Falerna?
Adverſo recubans antro captivus Hydaſpes
Fundit aquas, placido ſed murmure lympha ſoporem
Dulcius ut * Bromio invitet, partosque Triumphos
Per ſomnum objiciat. Non dedignata Receſſum
Numina Priſcorum: hæc altæ ſub fornice Molis
Ebria depictis videas accumbere Menſis,
Dum Nomentanum, ſecluſo Nectare, vinum
Largius ex Ida raptus * Pincerna miniſtrat,
Et potare jubent aptantes organa Muſæ
Carminibus. Duplices, adverſo pectore, Limen
Tutantur Sphinges, bene poti qualia Vates
Somnia commenti. Sublimibus undique ramis
Circumeunt Platani, Baccho indignante; feraces
Quippe velit vites ſuccreſcere Gurges ubique.

* Cryptoporticus magnifica.

* Crypta vinaria admirabilis.

* Baccho.

* Ganymedes.

ÆGLE.

Major at Heſperidum, Boreas cui militat, Ægle
Jure ſuo petit eſſe ducem. nec cedere Ventis,
Inſolitus vinci, Boreas velit: æquora pugnas

Jo-

Jonia arctoo novere a Flamine geſtas,
Novere Hyrcanæ nutantia culmina Silvæ.

Hæc Via te demum, noſtrarum pace Sororum
(Ægle ait) excipiat, magnis quæ Poſtibus ampla
Objacet Hortorum, ſtadiis metata duobus,
Qua ſimul & media Rerum diſcernitur ordo.
Dum ſibi depoſcunt avido certamine palmam,
Quidquid habent cultûs tibi jam retulere Sorores;
Jamq; aure hauſiſti, præſens quæ cernere poſſes.
Mecum iter inſtituas: cuncta uno e Tramite cernes.

Via maxima e Circo equeſtri ad Septentriones.

En Via ut Aonio ſepitur Germine! ab alto
En ut detonſæ vallatur frondibus Ulmi!
At ſepem vallumque Viæ tranſverſa meantes
Tergeminæ findunt. quæ prima avertit utrinque
Et quæ tertia iter, vibrata incendia luce
Solis ab æſtiva frondente ſub Ilice ludit:
At medius cœlo Trames diſcurrit aperto,
Quem noſtro ſimilem conſepit Apollinis Arbos,
Et vallant Ulmi. Stadio ſubſiſte peracto
Hìc, ubi non diſpar ſe bina hæc Semita findit,
Atque ubi quadrifido ſeſe explicat 1 Area gyro:
Apta loco, ſedesque imitantia marmora circùm
Aſpice, & Hoſpitibus ſimul alta Umbracula feſſis
Laurea, luxuriem belle præciſa comarum.
Quos cernis parios aſtare ſedilibus 2 Hermas,
Innumeros tota hac videas regione Vireti.
Evocat Auroræ croceos quà Lucifer ignes,
Ecce procul qualis conſurgit in æthera 3 Moles!
Hoc jam Proſpectu palmam ſibi Callis ab uno
Vendicet hic jure ante alios, Domus ampla nitore
Dum tanto effulget, quanto vix Regia Solis
Pro Vatum ingenio quantumvis alta columnis,
Et quamvis auro, ignivomis & clara pyropis.
Hæc Charitum commiſſa Choro nitidiſſima Sedes,
Ut priſca unanimes Operum miracula ſervent,
Ornatumque tibi tueantur, Roma, Sorores,

Tres Viæ ab Orien. ad Occid. Viam maximam interſecantes.

Prima, & tertia Via Ilicibus tecta.

Via ſecunda, ſeu media aperta, & Viæ maximæ omnino ſimilis.

1 Circus in medio hoc Villæ Ambitu, ubi duæ principes Viæ ſe invicem ſecant.

2 Statu. 8. in modum Terminorum Nymphas & Satyros ore tantùm eoq; pulcherrimo referentes.

3 Magnificentiſſima Domus in proſpectu ab Oriente.

Et,

Et, tua ab extremis adeunt qui maxima Terris
Mœnia, ut Hoſpitibus veterum clariſſima Rerum
(Burgheſiis ſedet hoc Animis) monimenta revelent.
Lumina ut alliciunt mira hæc ſpectacula! mentem
Sed quæ detineant, poſtrema hæc Limina ſunto.
Flecte, age, nunc avidas acies quà mergitur alto
Delius Oceano. Longæva ætate Magiſtrum
Aſpice, quem perhibent artes docuiſſe medendi.
Quòd Triviæ * Puerum infernis revocarit ab umbris,
Ignibus ipſe Jovis ſtygias detruſus ad undas
Ætherei haud potuit medicari fulminis ictum.
Implicat en Baculum ſpiris ingentibus Anguis,
Quem læta Auſonias Epidauro evexit ad Arces
Romulidûm Claſſis: Tiberina ſit Inſula teſtis,
Olim ubi ſacra (nefas!) Angui ſtetit Ara. ſalutem
Heu! quondam e ſtygiis quæſiſti, o Roma, venenis.
At nos ingentis ſpecies vocat horrida Monſtri,
Quod, velut emergens collo tenus, exerit amplo
Os immane ſpecu, &, vaſta dum fronte ſuperne
Prominet, en noſtrum aſpectat pro limite Callem.
Non adeo informem ætnæos habitaſſe receſſus
Te, Polypheme, reor, dapibusq; expleſſe cruentis
Ingluviem. Capiti ſummo pro crinibus hærent
Marmorei ſentes arrecta cuſpide; ſulcis
Ruga arat immenſis amplæ quaſi jugera frontis;
Aures oblongo tolluntur acumine; rupes
Scabra, ſupercilium; ſpeluncis abdita vaſtis
Lumina; proſtantes devexa cacumina tollunt,
Qualis Athos, nares; ſalebroſo aſperrima mento
Propendet barba, atque udo viret obſita muſco;
Os hiat horrendum, quali vix gurgite fluctus
Abſorbet Siculos, vomit inde Charybdis in auras;
Jugiter hac oris ructante voragine, lato
Penſilis effluvio, ceu vitrea carbaſus, unda
Exilit; hinc rauco ſubjecta Lacuna fragore
Murmurat, & late madet icta aſpergine tellus.

Æſculapii Statua pulcherrima in proſpectu ab Occid.
*Hippolytum

Moles ampliſſima in proſpectu a Septentrion. ubi immenſa & horrenda hominis facies e ſaxo Tiburtino perennes ex ore aquas ejectans in modum inflati Veli.

Præ-

Præruptæ cautes, ingentia viscera montis,
Hinc atque hinc pendent: scopulis haud talibus æquor
Actas per Libycum venti impegere carinas.
Adversa inferius cernas utrinque latebris
Ora exertantes, undas efflare Dracones,
Et medio Tiberim placide recubare sub antro,
Qui rigat effusâ Septa hæc lætissimus urnâ,
Dum videt antiquis nostros haud cedere Cultus,
Atque suam agnoscit, Rerum hac in imagine, Romam.
Nomine quæ augusto, at melius candore pudici
Pectoris effulges alto de vertice Molis,
Haud trepidas, faciemq; horres, Octavia, Monstri?
Omine sed tristi infelix sociata Neroni,
Dein fato meliore toris ejecta nefandis,
Tutior hìc resides, Pestem aversata cruentam,
Deteriusque nefas. jam se, tibi subdita, sistit
Auxiliumque parat custos en fulminis Ales.

Octaviæ Augustæ marmoreum Caput in Molis apice collocatum.

Nostra hæc progreditur quàm longo Semita cursu,
Ad dextrum duodena latus, duodenaque lævum
Arbusta in quadrum serie distincta Viarum,
Hospes, habes, tonsâq; istic circundata buxo,
Illic junipero, loto hìc, ibi virgine lauro.
Ad dextram quæ Septa vides (si Tramite ad Arctoh
Hoc pergas) Abies procero en stipite complet
Ad certos instructa modos; quali ordine Ductor
Explicat armatas Acies vasto æquore campi,
Dum pugnæ horrisonum late dat buccina signum,
Acribus & stimulis urget dum pectora Mavors.
Sed latere ab lævo quæ Septa tueris, opaco
Aeriæ en Pinus ramorum vertice inumbrant.
Ordinibus metata suis simul ipsa tuentes
Ut recreant Pineta oculos! sive agmina rhombos
Qualibet arborea effingant, seu rite Tabellas
Assimulent, Pubes ubi milite pugnat eburno,
Quærit & adverso effugium præcludere Regi.
Concedant enata jugis Arbusta Cytori;

Quæ-

Quæq; occulta Jovi dederant cunabula, Pinus;
Et saltus, Alburne, tui; celebrisque Dianæ
Lucus Aricinæ; sacrataque Silva, Latino
Edita ubi quondam divini oracula Fauni.

Ante Lacum, Monstro ejectas qui suscipit undas,
In fine Viæ maximæ Via mirabilis ad Occidentem. Siste gradum: hinc Solem videas qua parte cadentem,
En facies miranda Viæ! quæ, lumine aperto
Desuper, Ilicibus stipatur utrinque subactis
Mirifice ad numeros: denso nempe agmine ramos
Implicitæ, viridesque comas recto ordine tonsæ
Objiciunt oculis speciem, pendentia Tectis
Qualem Aulæa solent succo perfusa virenti.
In fine Viæ maximæ Via leniter acclivis ad Orientem. Longius it Callis quà Sol emergit ab undis
Mane novo: hinc illinc nexis densissima virgis
Tu comitaris iter, simili digestaque ritu
Tu quoque suspensos fingis, Lentisce, Tapetas.
Ecce Viæ aspectant cursum, Postesque tuentur
Statuæ 2. pulcherrimæ in prospectu ab Oriente. E fronte extructos Phœbusq; Athletaque, magnos
Visi animos jactare, suosque efferre triumphos.
Horrendum telis a se Pythona peremptum
Reginæ haud verito numen Junonis & iras,
Commemorat Phœbus, cæsosque subinde Cyclopas
Fulminis artifices, Patri famulata Tonanti
Robora Monstrorum metuenda. Intercipit alter
Plura locuturum: Mediâ mortalis Arenâ
Edidit hostiles manus hæc tot stragis acervos,
Quot sciderint tua plectra fides: lethoque Leonum
Robora plura dedi, quàm paveris exul ab astris
Olim tu pecudes: vicina hæc Mœnia testor.

Phœbeos Callis quàm longe excurrit ad Ortus,
Cultissima Silvula capiendis avibus accommodata. Vulgo *Ragnaja*. Ecce, Hospes, lævâ virgulta undantia late.
Mespilus hìc, lotos, coryli, viburna, genistæ,
Arbutus, intexunt densato caudice Silvam;
Pervia quæ tamen ut pateat, septena recursato
Semita per Frutices tenui longissima ductu,
Transversisque viis apte interfecta, dolosas

Am-

Ambages ne forte putes, induſtrius olim
Quales, ut fama eſt, Cretâ molitus in alta
Dædalus; inſidiæ neque enim mortalibus ullæ
Hìc poſitæ: ſolis avibus parat iſta receptis
Silva dolos, alte ſuſpenſa ubi retia cernis
Non ſecus, ac mira ceu ductas arte (Minervæ
Æmula adhuc) tenues ſuſpendit Aranea telas,
Captet ut errantes, ſua dulcia pabula, muſcas.
Undiſoni linquens jam ſaxa immania Monſtri,
Rurſus hyperboreas veſtigia dirige ad Arctos,
Villæ intermediis comes it quà Semita Muris.
Angulus haud procul excipiat. Qui culmina Poſtis
Illuſtras adverſa, caput velamine, Cæſar,
Quid tegis inſolito? nunquid dum Curia ſicas
In te adigit, patrioque madet dum ſanguine Brutus,
Ne tua flagitio fœdentur lumina tanto,
Et decus ut ſerves multo dum corruis ictu,
Cæſareum Trabeæ juvat os obnubere limbo?
Ad lævam, efficti velut ingens prominet Antri
Exeſo * facies compacta e pumice: ab imo
Limine pertenuem vibrat ſiphunculus undam,
Quæ ſaliens arcum leni cum murmure lambit.
Hinc flexum (acclivis quò te Via ducit) ad oras
Perge iter eoas quàm longo Silva meatu
Progreditur dextrâ. nec longi tædia Callis
Hìc ſubeant animum, transverſo ubi tramite aperta
Silvula jucundo teneat tua lumina viſu.
Quòd venatricis nulla hìc violentia turbæ,
Quòdq; infeſta canum rabies agitare quietos
Nulla ſolet, tanquam cicures colludere paſſim
Aſpice, te coram, Lepores. Quin ipſa Volucrum
Agmina conſpicias frutices volitare per omnes,
Carpere & arboreas, quæſita alimonia, baccas:
At miſerè inſidiis mox irretita plagarum
En pereunt, ullo non extricata labore.
Callis ubi fines, hìc ſeſe en parva Theatri

Non procul ab illo Monſtro alia Via recta protenditur Septentriones verſus tàm longe, quàm lata ſilvula ad dexteram ſita.

* Proſpectus viæ, quæ hìc flectitur, & recta hinc Orientem verſus tàm longe protenditur, quàm lõga ſilvula ad dexterũ ſita.

Objicit effigies. ſed qui nitor allicit, ante
Ne te detineat, quàm, verſo lumine ad Auſtrum,
Semita te plano recreet pulcherrima tractu,
Semita, odoratis quam frondibus aurea Malus
Inde ornat, dulce hinc redolentia Germina Pindi:
Hæc Via præcelſum Villæ dum poſſidet æquor,
Hinc luce & pura ante alias perfunditur aurâ.
Quin & magnificas dum præterlabitur Ædes,
Immenſum ſortita decus. Si hoc Tramite pergas,
Digeſta ordinibus videas Laureta quaternis,
Unde Domus propior jucundos haurit odores.
Attamen auguſti Facies ubi mira refulget
Liminis, Aonidum late Virgulta recedunt,
Et ſimul hìc vaſtæ ſpatium declive Plateæ
Seſe aperit; ſpatiumq; obeunt munimina circum
Marmorea exíguis belle ſuffulta columnis:
Addidit & patriâ de rupe ſedilia Tibur:
Ornatumq; augent * Inſignia Gentis avita
Marginibus paſſim. quin & ſpirantia Signa
Circunſtant, * Fauſtina Parens, & * Nata, ſuperbis
Inſignes Thalamis, Cererem mentitaque ſacro
Veri uxor Lucilla Peplo, & vittata Sacerdos:
Mœſta Ceres lethæum iſtic gerit ipſa Papaver;
Atque eadem inventas illic oſtentat Ariſtas.
Egreditur Plateâ medius quà * Callis, utrinque
Monſtrorum e linguis placido fluit unda ſuſurro:
Nec procul hinc Pueros cernas inſidere dorſo
Delphinum, patulis qui ejectant naribus undas
More ſuo: haud aliter vectavit Ariona Delphin
Ereptum inſidiis, poſuitque in littore tutum
Perſonat æquoreis ubi Tænaris ora procellis.

Jam velut exigui ſpecies luſtranda Theatri
Objicitur. dextrâ ſurgentes aſpice parva
Mole * Ædes, nitidæ ſed Frontis luce nitentes
Non parva. En vigilum aſſiduis protecta Draconum
Excubiis, gemina nec non Jovis Alite, ſervat

Limi-

Via maxima & omnium pulcherrima, quæ ampliſſimæ Domus Faciem prætergrediens Meridiē verſus excurrit donec viæ maximæ conjungatur, quæ a Circo equeſtri Orientem verſus progreditur.

Platea ante principem Domus faciem.

* Aquilæ, & Dracones.

Statuæ 6. circum Plateam
* Uxor M. Antonini Pii
* Uxor M. Aurelii.

* Via maxima, quam inter Ulmos excurrentem vidimus dum e medio hoc Villæ Ambitu magnificam Domum proſpiceremus.

* Parvula quædam hæc Domus eſt, ſed ſtructura & ornamentis exterioribus admiranda.

Limina Gorgoneos agitat quæ Diva colubros:
Nempe Loco insidias metuit, dum Vellere circùm
Aspicit Heroum clarissima Nomina rapto.
En Minyæ; * Æsonides, Orpheus, cum Castore Pollux,
Et qui sunt comites alii? Tot adire pericla
Quæ causa impulerit Juvenes, atq; Æsone natum
Ante alios, jam nota tibi. Perculsus amore
Jam quisq; ingenti laudum, perculsus Iason,
Æripedes Tauros efflantes naribus ignem,
Et formidandum Mavortis in Æde Chelydrum
Aggreditur, villis radiantia Vellera fulvis
Colchide Rapturus. Pelias sed Iasona Tutor
Ad certam mittit per dura pericula mortem,
Hæredi rapiat quò Thessala Regna perempto.
Væ tibi! ni flagrans Medea Cupidinis igne,
Æsonide, ferat artis opem, qua vulnere ab hoste
Lædaris nullo, domitos qua mittere Tauros
Sub juga, & insomnem valeas sopire Draconem.
Ast hìc nulla juvent lethæo gramina succo,
Carmina nulla juvent horrendis edita verbis,
Nullaque vim superet magicis Æetias armis
Hìc, ubi saxificam majus quatit Ægida * Numen.

Plurima circùm Heroum Capita in ædiculis, huic quasi Theatridio ornamenta.

* Iason Æsonis filius.

* Pallas.

Hactenus Hesperides. Circùm dum Signa tuemur,
Panditur interea claustris hìc Ambitus (umbras,
Phosphore, quà pellis) stridentibus alter ahenis.

VILLÆ BURGHESIÆ

Liber Secundus.

FLORA.

AT plusquam mortale decus de limine parvæ
Ecce Domûs exit, violis ornata roſisque
Nympha caput, Babylonis acus quod ſedula pinxit
Florifero velata Peplo, redolentia Veris
Dona gerens manibus, calathis & Lilia plenis,
Ore dea inceſſuque patens; ſicq; excipit ultrò:
Hoſpes amice, manu Viridaria culta Sororum
Viſere cui placitum, jam nunc ſuccedere, noſter
Quod labor excoluit, ne dedignere Vireto.
Quot numerem Heroas, Procerumq;ingentia dicam
Nomina, qui attoniti noſtros videre labores!
Chloris ego; at veteres Floram dixere Latini.
Hìc, mihi dotales Zephyrus quas tradidit olim,
Veris opes videas. Fluctus pertæſa ſonantes
Æquoris occidui, variis peregrina Viretis
Intuleram cultus, Latias migrare ſub Arces
Cùm libuit tandem. Celebres Salluſtius Hortos,
Mæcenasque dedit nobis, & Agrippa, colendos,
Lucullus, Cæſarque dedit. Sed tempore primo
Mente rudis, quantum conari induſtria poſſet
Haud noram: lapſis me ipsâ prudentior annis
Mirum quanta meis rerum miracula Septis
Addiderim! ſpecie varium quàm Germen ab una!
Quàm varie inſperſos uno de ſemine Flores!
Quid quòd delicias æterno Vere perennes
Artis ope inſtauro? Duplici quæ hìc ordine * Climax
Diſcurrit longe, gradibus conſtructa quaternis,

* Duæ veluti Scalæ in longum extructæ, quarum lõgiſſimi gradus quaterni Vaſa florifera ſuſtinent ſingulis Anni temporibus commutata.

Haud

Haud fallax tibi teſtis erit. Mutata recurſu
Temporis alterno hìc, Hoſpes, mea munera longis
Agminibus cernas, nitidis commiſſa Labellis.
Et quoniam non una parit ſimul omnia Tellus,
Quos tepidum ſpirare vides e limine* Ventos
Providus Heſperiis Zephyrus dimiſit ab antris
Uxori famulos, variis ut ſemina ab oris
Ocyus huc veherent. Ergo undique Veris honores
Dilecti ſimul hìc, quales nec florida Pæſti
Septa tulere olim, molles nec Adonidis Horti;
Et quales nec Hymettus api, nec Sicelis Hybla
Præbuit. Hìc cernas, quos nutrit Iberia Flores,
Gallica quos Regio, quos Flandria, & Indicus orbis,
Et Numidûm tellus, Syriisq; habitata Colonis
Littora, quos Perſis, quos & Peruvia dives
Nutrit odoriferos. Videas lectiſſima Odorum
Germina ſanguineo veluti percuſſa flagello,
Vel Phrygiis acubus ceu picta, vel æmula flammis,
Vel Scythicas imitata nives. dum tota fatigat
Natura ingenium, referat quæ lingua colores,
Caryophylle, tuos? Faciem, Narciſſe, decoram
Vere novo tu belle aperis, tu tempore brumæ,
Tu, quando urit agros æſtas, ſed miſſus ab Indis;
Te ſimul Autumno, qualem Japonia, Tellus
Noſtra videt. Varium præfers, Hyacinthe, nitorem
Tu quoque verſicolor; nam ſæpe aut cærulus æquas
Æthera, vel puris certas candore pruinis,
Alba vel ora geris dubio ſuffuſa rubore
Multiplici clarus folio. Simul ipſa refulges
Ut varia, Anemone! quàm fruſtra imitata, laborem
Impendat Pictura ſuum! non ipſa tot hauſtis
Sole ex adverſo miranda coloribus Iris
Tam pulchras æquet ſpecies. Ranuncule, quondam
Jure tibi licuit Florum concedere nulli.
Gloria nunc prima Hortorum eſt, mea maxima cura
Floſculus externo Mogoris de nomine dictus,

* Ventorum imagines e plasmate.

Caryophyllus.

Narciſſus.

Hyacinthus

Anemone.

Ranunculus.

Mogorinus.

Flos nive candidior, Gesmino haud major Ibero,
Pinguior at foliis, quo non jucundior ullus
Sit flores inter. Quæ vis hunc insita odore
Imbuerit tanto, expediam; sed mente sub ima
Conde arcana, suum rapiant ne sidera partum.
Cùm Jovis ad mensas casu prolapsa repenti
Ætherei laticem fudisset Nectaris Hebe,
Litus in Eoum guttarum decidit imber,
Forte ubi Seminibus mea cura parabat alendis
Putre solum. nares ut vis implevit odoris
Insolita, ambrosio glebas humore madentes
Colligere est visum. quo sum non usa fovendis
Ingenio? traxere meos sed multa labores
Sæcula susceptos frustra. tentamine tandem
Vicimus assiduo. cœlesti e Nectare Flores
Ecce novos. Seris misisse hæc Germina sæclis
Fata reor, decorare sinus ut, candida, posses,
Burghesio quæcunque Viro sociabere, Virgo,
Felix o Virgo, Thalamis non invida Regum!
Texere quas Capiti jam nunc e Flore corollas
Virgineo meditor, quibus & præcingere Tædas
Fasciculis, sertisque Toros redimire jugales!
At si Pleiadum signa; & nimbosus Orion,
Imbriferæque Hyades pluvias, aut grandinis ictus
Æthere portendant atro, si Phœbus ab Axe
Torqueat igniuomo radios, tum Vela recurvis
Fornicis in morem virgis aptata, citisque
Omnia vertibulis simul ocyus acta, furentes
Nimborum ac Solis defendunt Floribus iras.
Tempore dein certo, Areolis utrinque subactis,
Margine quas belle circùm mea dextera clausit,
Surgentes videas amaranthos, belidas, irin,
Florem Helenæ, tulipas, cyanos, delphinia, calthas.
Hìc, ubi floriferi tractum discriminat Horti
Cella duplex medium, tenuiq; ubi texta metallo
Alituum ingentes obducunt Retia Sedes,

*Duplex Aviarium & structura & magnificentia admirandum.

Com-

Communi vitæ ſociatas lege Columbas
Aſpice Turturibus. nullo cùm parta labore
Hìc alimenta habeant, undasq; e Fonte perennes,
Cùm Paries depicta intus viridaria, ſilvas,
Et volucrum referat genus omne, haud aere malint
Liberiore frui. Cellas quæ priſca Quiritum
Ora foris decorent, Faſces, & laurea dicant
Serta tibi; geminasque voces quo nomine Divas,
Te fruges doceant, te præpetis arcus Amoris.
En ſumma hìc Aries ornat faſtigia Poſtis,
Marmorei pretio qui Velleris æquat opimas
Illius exuvias, quo jam vectore per undas
Colchica (perfugium quærens) ad littora Phryxus
Appulit incolumis: ſolvens dein vota Gradivo,
Aurea (ſic perhibent) ſuſpendit Vellera Luco.

Statuæ 6. Veterum Capita marmorea 17.

Aries e pario marmore extans admirabili arte perfectus.

Poſt Avium ſedes Horti procedit amœni
Curriculum, auguſti donec fundamina Tecti
Excipiant. Ea quondam animo defixa ſedebant
Vota meo, ut lucem properaret Phoſphorus almam
Reddere, qua tandem optaret Burgheſius Heros
Ædibus hiſce locum. certas hìc figere ſedes
Quippe animo ſtabat, ſiquo cumulare nitore
Hæc poſſem Tecta, & lateri decus addere utrique.
Nempe loca hæc quoties, Hortos in culmine Pinci
Dum colerem Luculle tuos, mihi Phœbus ab alto
Præſcius oſtendit Tumulo, cecinitque futurum,
Ut, quando Imperium Romana Potentia Cœlo
Æquaret, Magno ſub Præſide ſurgeret olim
Hinc e dumetis Species cultiſſima rerum!
Parte hac Hortorum ſolis mea Germina paſſim
Areolis mandata vides. Granadilla, chamiris,
Heſperides, calamintha, roſæ, cyclaminus, anonis,
Leucoja, hìc vicibus florent, & lilia, certis.
Quà regit ignipedum medio ſublimis equorum
Phœbus iter Cœlo, ſimilem Domus ampla Vireti
Proſpectat late faciem. Mea Pignora cernas

Hic etiam innumero circundata margine, amellum,
Horminum, phlogas, anthemidas, tanaceta, thryallin,
Asphodelon, clytien, adianta, sisymbria, lychnin,
Et florum quidquid toto Sol conspicit Orbe.
Aureolos quin ipsa meis dedit hospita regnis
En fœtus Pomona suos. Ingentia servant
(Aspice) Labra Citros, Italas quas misit ad oras
Persarum Regio, Cretæ quas ora feracis,
Littus & Assyrium, Hesperiæ postremaque Tellus.
Caudice sed vasto, Muros prope, tollitur alte
Aurea Malorum series, hìc carcere nullo
Radices cohibente vagas. Si torridus arva
Sirius incendat, felix hæc terra latratus
Non timet igniferos; multis nam jugiter unda
Fontibus exiliens urentes mitigat æstus,
Arboreasque fibras cæcis irrorat hiantes
Vecta canaliculis. Supremo in limite Septi
Quam videas Frontem! Miros industria lusus,
Et filicum circà nexos florumque maniplos
Quàm pulchre inseruit! Bina sub imagine, Divûm
Majestas illinc, ast hinc Romana refulget
Insita Consulibus; fœda qui e vomere dextrâ
Quantumvis, late Populis auxere subactis
Imperium, & longe Fasces vexere Latinos.
Sic fata ingenio mitissima Chloris amico est.

PAN. PROTINUS in Lucos hinc me vocat alter amœnos
Secundus Villæ AMBITUS. Ambitus, hospitium Fauni, quem lusit amantem
In calamos Syrinx olim mutata palustres;
Unde ille Arcadias cerâ conjunxit Avenas,
Et Silvas docuit dulces iterare querelas.
Platea ante alteram Domus Faciem. Sed prior ante Ædes quæ panditur Area, nostros
Allicit obtutus; humilis velut agmine denso
Hanc Cypariſſus obit, celsisque subinde Cupressis
* Statuę molis immensæ in modum Terminorũ. Interjecta Abies. Plenis genus omne canistris
Pomorum gestant primis immania * Monstra
Pixa locis; qualesi nimica ad Sidera nixi

(Ut

(Ut memorant) fratres congeſtis montibus olim
Enceladus, Briareus, belli & pars magna Typhoeus.
Dein tua, Terræ Orbem tranquilla pace fruentem
Effigies, Auguſte, gerit. Te Commode Signum
Inde refert, ſeu cæca tuæ deliria mentis;
Nam Jove te natum quô ſubditus Orbis adoret,
Herculeam tractas, induto tegmine, Clavam.
Parthicus haud longe Verus jactare Triumphum
Viſus adhuc. ſed tanta parem quæ Gloria lucem
Oſtentet vicina tibi, cui nectit Idume,
Armenia, haud uno devictaque marte coronas
Dacia, Virtutumque ingens cui militat agmen,
O Romæ Trajane Decus? Gladiator Arenâ
Hinc velut in media pugnat; ferus inde laceſſit
Spartacus, ut quondam Romani Nominis hoſtis
Erupit Capuâ. Quatiens hinc cymbala Faunus
Athletis plaudit ſannâ, nec ſceptra, tuumque,
Aureli, vultum majeſtatemque veretur.
Ecce iterum Auguſti faciem manus æmula finxit,
Sed qualem Actiaco videre exterrita bello
Agmina Nereidum, & qualem fugitiva Canopi
Regina extimuit. Non hinc procul, arma gerentem
Perſea conſpicio, truncata Gorgone lætum,
Sed mage, quòd ſcopulo aſtrictam ſubduxerit Orcæ
Faucibus Andromeden. Bis ſeptem hìc mole rotunda
Stant Hydriæ ingentes, artis portenta figlinæ,
Jam ſedes, o Bacche, tuæ. Simulacra quaternæ
Hìc reſident Sphingis ſerie compuncta notarum,
Ægyptus quas una legat: ſed condidit Ætas
Priſca ſub hiſce, reor, tricarum arcana figuris:
Quodnam animal, primo quadrupes eſt mane, ſubinde
Luce bipes media, pedibus dein veſpere trinis
Incedit? dubios exolvas, Œdipe, nodos.

Statuæ decem pulcherrimè circum Plateam.

Antiquæ Hydriæ 14. molis ingentis.

Celeberrimum Sphingis Ænigma.

At Plateæ e medio ſurgit Lacus, ordine circùm
Marginibus miro extructis. Quæ lympha perenni
Tendere ſublimis conatur in æthera niſu,

Fons magnificus in media Platea.

Deſi-

Desilit in vastum Libyco de marmore Labrum,
Unde Lacu excipitur leni delapsa sonore.
In Labrum attonito similis despectat, Imago
Ænea, Narcissus. formâ nimis ille decorus
Limpida dum sitiens avido bibit ore fluenta,
Os undâ referente, sui correptus amore,
Flos velut arescens, vesano exuritur igne:
Ast ingens hinc, Flora, tuis laus addita regnis.

Parvum Lauretum ad utrumque Plateæ latus.

Areæ utrumque latus Phœbeæ Silvula Frondis
Excipit: * hìc flexis alto curvamine virgis
E chalybe, & multa circùm subeunte columnâ,
Ceu * Tholos erigitur, media qui æstate ministrat
Fronde vel aonia, pictisve Tapetibus umbram.
Silvarum e medio digressis orbe quaternis
Meta viis, Satyrus maculosa tigride amictus,
Luctantes Pueri, nitidum diademate Juno
Cincta caput, vivensque alterno tempore Pollux:
Dein puer Alcides superans jam viribus annos,
Tela gerens Veneris Soboles, emersa lavacro
Mater Acidalio, & vibrans sua Jupiter arma.

* In mediis Lauretis.
* Quasi Testudo e virgis ferreis.
In Laureto ad dexterâ.
In Laureto ad lævam.

Via maxima e Platea ad Orientem interpulcherrimum Ilicum Nemus.

Dum Plateâ egrediens Eoum tendere ad Orbem
Instituo, spatiosa meos en Semita gressus
Accipit, hinc illinc (vallo ceu septa virenti)
Iliceis ornata comis. Quà Plaustra Bootes
Insequitur, mediumque premit quà Phœbus Olympum,
Explicat egregius late se Lucus opacis
Consitus Ilicibus, certis quas dextera sevit
Legibus, ut miras nativis adderet ordo
Delicias. Tantum sese quo Parrhasis olim
Jactavit Tellus, juvenum qui semper amores
Audiit, & calamos inflantem Pana repertos,
Haud tales Nymphis suffecit Mænalus umbras.
Arcadios dudum pervasit Fama Recessus
Tam culti non vana Loci. jamq; Elidis Amnem,
Qui nullum alluerat quondam sine nomine Collem,
Parrhasium lacrymis dum linquere Numen obortis

De-

Debuit, ad ſacras conceſſit Tibridis undas,
Huius & Arbuſti recubans ſub tegmine, acerbas
Septena (ut perhibent) lenivit arundine curas :
„ O bene cultorum Dryades Geniique locorum,
Ne pigeat Cannis intendere agreſtibus aures,
Si ſociata meis placuerunt carmina avenis
Et Dryopi, & Nymphæ, voces quæ reddit ab antris;
Quin potuere Hecaten Cœlo deducere amantem.
Hoc Nemus & Genio ſi fas habitare Lycæo,
Deſere Mænalios, mea Tibia, deſere lucos.
„ Jampridem dilecta mihi nemorumque Puellis
Mænala, & alternis Juvenum reſonantia metris
Antra ſimul, valeant. Pelopis clariſſima Tellus
Indigenis habitata diis, habitata Napæis,
Latronum inſidiæ heu te fœdavere cruentæ.
Qui mihi præbueras nitidos, Alphee, liquores,
Heu vehis impuras commixto ſanguine lymphas!
Deſere Mænalios, mea Tibia, deſere lucos.
„ Hìc, ubi ſeptenis ſurgunt e Collibus Arces,
Extollitque caput felix ubi Roma decorum ;
Hìc, ubi regales auxit Manus aurea Cultus,
En quæ Paſtorum invitat modulamina Sedes !
Quæ Dryadum alliciunt hilares Arbuſta choreas !
Arcades, Auſonias mecum concedite ad Umbras.
„ Arcas inauditum Latiis haud nomen in arvis :
Romulidûm veſtros novit Terra hoſpita cœtus :
Nam memini, Arcadico ſtipatum milite quondam
Sceptra Palatini tenuiſſe in vertice Collis
Evandrum, nobisque ſacrum celebraſſe Lupercal.
Arcades, Auſonias mecum concedite ad Umbras.
„ Attamen alma dies aderit (ſi audita recordor)
Regina Adriacis veniens cùm Doris ab undis,
Nereidum comitata Choris, & Numine Patris
Freta ſui, Odryſios debellatura Latrones
Æquore diſcurret toto. Tua flamina Divæ
Dextra feras, Aquilo; vires emitte faventes

Tu

Tu ſimul occiduo, Aurarum placidiſſima, ab Orbe
Qui teneras ceciniſtis adhuc de more querelas,
Diſcite ſublimes, Calami, celebrare Triumphos.
„ Parce metu, Auſoniæ Cœlo chariſſima Tellus:
Si Populis inimica tuis minitata catenas,
Si cultis minitata Agris atque Urbibus ignes
Prædonum rabies Stygiis cumulata venenis,
Parce metu: hoſtiles rapient incendia Puppes,
Vinciet atque manus Victricis dextra rapaces.
Doridos hæc ſpondent (incœptis Aſtra favete)
Ira laceſſitæ, & Pelago bene cognita Virtus.
Doris Idumæis cinget ſua littora Palmis:
Doris (certa fides) Magni Diademata Patris,
Et ſua Serta, auro gemmisq; ornabit eois.
Diſcite venturos, Calami, celebrare Triumphos.
Talia dum caneret Numen, venere frequentes
Ilicet ad ſonitum Nymphæ, venere volucrum
Agmina: Faunorum turmas pecudumque videres
Auribus inflexis dulces captare ſuſurros,
Undique dum voces repetitas ederet Echo.

Via maxima à meridie ad Septētriones per medium Nemus, Ilicum ramis obtecta.

Quam longũ eſt utrinque, Nemus Via dividit amplo
Æquore. Callis iter viridante ſub Ilicis umbra
Hoſpitis adducit per amœna ſilentia greſsus.
At quoquò intendas acies, en Tramitis æquor,
Dum nulla incertis ſuccrevit ſedibus Arbos.

* Gazelle.

Dorcadas * hoc paſſim videas diſcurrere Aſylo
Corporibus pedibusque leves. hos Indica tanto
Capreolos Nemori Tellus dedit. ubere fœtu
Gaudentes, patriis haud gramina carpere ſilvis
Jam malint, potare tuos non, Inde, liquores.

Locus, ubi Equi domantur.

Tectorum ſeriem, ſpirat quà nubilus Auſter,
Cernimus. hìc Domitor frænis compeſcit Equarum
Magnanimam ſobolem. nempe huc Præſepia adultos
E Grege non uno mittunt Burgheſia Pullos,
Spadices, gilvos, atra ferrugine tinctos,
Aſperſo & maculis imitatos vellere Tigres.

His

His caput argutum, cervix erecta, jubisque
Luxurians, agilesq; aures, oculique micantes,
Pesque levis, validique toris ingentibus artus.
Cùm vigeant alacres animoso in pectore vires,
Æstuat, infrendet, diverberat unguibus auras,
Excutit impatiens frænos, pugnatque reluctans
Fundere, siqua via est, equitem generosa propago.
Non Agragas tales olim, nec Thracia partus,
Nec dedit Epirus: non Gens Epidauria tales,
Non Othrys edomuit: nunc prole insignis equinâ
Educit vix Embda pares, aut inclyta famâ
Parthenope. Hìc Ætas memoret quid prisca Jugales,
Dædala quos rapuit Solis de semine Circe?
Quid verno Alipedes cretos e flamine? terris
Quidve tibi exortum illisu, Neptune, Tridentis?
Affixumve (nefas!) jactet quid Cyllaron astris?
Tecta prope haud ingens Thebano e marmore surgit
Pyramis; effigies tamen hæc satis apta labores,
Memphi, tuos referat. Trojano sanguine * Atrides
Hìc residet fœdatus equo. quem fulmina Martis
Non stravere Ducem, Ægysthi manet ira daturum
Iliaco cineri pœnas. Threissa parentem
Captivum Harpalice e manibus raptura Getarum
Sæva furit, patrioque sequens velociùs Hebro
Et jaculis & equi pedibus jam proterit hostes.
Magnificas at contra Ædes (ubi terminus ampli
Tramitis, e Platea egressus qui ad littora tendit
Auroræ) videas secluſa in parte * Recessum
Clathratis Foribus. vasto colludit in orbe
Divisa innumerus regione Cuniculus. æquant
Hi nitido candore nives; fuligine tinctis
Hi velut obducti villis; imitata colores
Maxima pars, leporum. fugit hic sectante caterva;
Ille vibrat sese; hic saltus eludit inanes;
Ille agit excubias; parat hic nil tale verenti
Subdolus insidias. quid te jucundius, Hostes

* Agamemnon.

Vivarium Cuniculorũ.

Ni tacite effoſſis ima tellure cavernis
Vertere præcipites docuiſſes, improbe, Turres?

Alia via minor inter Nemus ad lævam, & muros ad dexteram.

ILICET arctoas (quà ducit Semita, Lucum
Et Muros inter) lubet hinc diſcedere ad oras.
Haud procul æthereos Orbes en fulcit Atlantis
Effigies: Abaci moles aſt addita Cœlo
Heu! nimis auget onus: tanto ſub pondere nutas,
Curve Senex. Divos, ut fama eſt, Jupiter olim
Undique collectos Epulis accumbere ſecum
Juſſerat. actutum Cœlo delapſus ab alto,
Alatis pedibus vento pernicior, Hermes
Convocat infernis torquentia ſceptra ſub umbris
Numina, & æquoreis dominantia fluctibus: inde
Innumera ex agris, ſilvisque armenta deorum,
Amnibus, atque jugis, Virgâ propellit in unum
Maurus ubi Campus. Nigris Vulcanus ab antris
Non tamen accitur; Junoni inviſa parenti
Progenies tam fœda. Poli conatur ad Arces
Per longam manibus pedibusque obrepere barbam,
Quilibet, Atlantis. Jam quisque aſcenderat, amplis
Inſtructæ jam Menſæ Aulis, jam totus opimis
In patinis cujusque animus, cùm pondere preſſus
Inſolito curvatur Atlas, motûsque repentis
Impetus ambroſiasque dapes laticesque beatos
Effundit. Cœli convulſo cardine utroque
Cuncta ruant, valida ſi non cervice labanti
Alcides ſubeat (venturi credite) Olympo.

Via maxima inter Nemus ad Meridiem & Lauretum ingens ad Septentriones.

TRANSVERSA dirimente Viâ, Nemus Ilice opacum
Laureta excipiunt. Lucos qui dividit ambos,
Aſpectat Callem pubentis Imago Neronis,
Infauſtæ haud temere quam ſtipauere cupreſſi:
Urbs, omen ferale tibi. Baſis addita Ephebo
(Artis opus miræ) cælatis aſpera ſignis
Marmorei facies Tripodis. Qui præſidet alto
Eloquio, Diva ingenuæ cui cura Palæſtræ,
Alma Pudicitiæ effigies, & cordibus hærens

Hu-

Humanis Pietas cum Relligione (ſacrato
Quæ Tripode haud vana Artificis manus extudit) Aſtra,
Credo equidem, votis urgent, ne immane regendis
Deſignent fato caput hoc pia Numina Terris.
Aſſurgit tenerâ Sepes intexta cupreſſo
Iliceis adverſa umbris, aditumque patentem
Præbet odoratum in Lauri Nemus. Ora doloſi
Ante aditum Monſtri (facies cui virginis, alæ
Ingentes avium, pes cauda artusque leænæ)
Ne timeam, Brutus, Tiberî munitaque ferro
Dextra, * Piusque mihi præſto eſt, quin agminis inſtar
Bellerophon, cæſæ cui ſanguine tincta Chimæræ
Arma calent. Variis intus Laureta Viarum
Pervia curriculis. ſimulantia Signa Quirites,
Queis olim imperii fuerant inſignia Faſces,
Proſpectant Calles, & duplicis alta Columnæ
Gloria purpureæ: Jovis hanc pede calcat Imago
Fulmine terrentis Populos, ut cuncta ſupremo
Subdita conſilio norint: hanc Copia pleno
Læta tenet Cornu, victrix quod dextra revulſit
Fronte, Acheloe, tua, cùm te ſub imagine Tauri
Alcidæ * Conjux fidiſſima riſit amantem.

* M. Antoninus Pius.

* Deianira.

Ad Boream pergens Laurorum Silva Theatri
Deſinit in ſpeciem. Queis clauditur Area Pindi,
Intexunt Circo Frondes umbracula odoræ;
Celſior aſt Ilex viridantia brachia tendit
Deſuper. hìc ternos videas utrinque receſſus:
Claudia ſuſpicitur primo, intemerata Sacerdos;
Quippe deûm Matrem (quando huc conceſſit ab Ida,
Ac Tiberine tuis immobilis hæſit arenis)
Haud aliæ movere manus. Cytherea propinquum
Nacta locum. ſedes armato proxima Fauno
Obtigit, Auſonias dum perturbaret inanis
Venator ſilvas. Deſerto Helicone, Thalia
Urbanis intenta jocis, fidibusque canoris
Terpſichore, viſæ his habitare libentius Umbris.

Hìc

* Venus.

Hìc reſides iterum, formoſi o conjugis * Uxor?
Quid tibi cum Lauris? haud mollis Amaracus iſtic,
Haud ulla hìc Myrtus. ſed (quæ Regna inclyta jactas)
Quin Amathuſiacos habitas, vaniſſima, lucos,
Idalias, Paphiasque domos, atque alta Cythera?

Proſpectus & magnificentia & rerum varietate ac pulchritudine admirabilis.

Murorum e fronte, adverſo ceu Scena Theatro
Objacet. Alternis belle digeſta Columnis
Quàm nitida hìc rerum facies! Parat inde Gradivus
Bella ferox. placas ſed tu vicina furentem
Ore tuo, Aurelî * Conjux pulcherrima. Druſi

* Fauſtinæ junior.

Manibus inferias num das pia mater adempti,

* Septimii.

Livia, quæ pateram, vittas, peplumque ſacerdos
Illic mœſta geris? dum te jucunda * Severi
Fulvia ſolatur genitrix, en Lilia donat
Flora tibi, niveo juſtiſſima Serta Pudori.
Marmora quæ paſſim cælata! hìc Phœbus eoo
Gurgite tollit equos; bigas hìc pallida mergit
Fluctibus Heſperiis Hecate. fera bella cientes
Hippolytæ hinc ductu glomerantur Amazones; inde
Caſtra movet Theſeus Alcide aſt auſpice: tantos
Quid, Virgo infelix, tua dextera poſſit in hoſtes?
Educat infantem Macris dum melle Lyæum,
Uſtæ immaturum e Semeles quem Jupiter aluo
Ipſe ſuo femori inſuerat; modò natus Orion
Dumque manus inter nutricum geſtit, in Utre
Membra puer concepta gerens animamque ſepulto;
Tam lepidos juxtà ridet Venus improba partus.
Faſciculos videas obeuntes undique florum,
Et rite inſertas peregrino ex æquore conchas,
Et paſſim aligeros (innoxia ſaxa) Dracones.

Alius Proſpectus minor ad Oriêtem, ubi Via inter Lauretum & Muros flectitur dextra ad meridiem.

Quam procul hinc dextrâ cernas, ſimul ipſa decoro
Frons micat ornatu. luctantem ibi frænat habenis
Alipedem Caſtor. ſocia cum Mænade Faunus
Ridet inexpletum, quòd pigro excuſſus Aſello
Egregius Silenus eques. jacta eminus haſtâ
Progenies Veneris metuendum interficit Aprum;

Dein

Dein curru ceu Victor ovat Puer ultus Adonin.
Ecce Paris ſuſpenſus adhuc in lite dearum
Hæret, præcipui cui debita palma Decoris:
Scilicet uxorem ſpondet Cytherea venuſtam,
Spondet opes Regina deûm, ſua munera Pallas,
Aurea victricis ſi detur Adorea Formæ.
Tu quoque deliras, Jovis alto educta cerebro?
Ad lævam rurſus longe hinc, ubi Callis ad Auſtrum
Flectitur, excelſam videas conſurgere Frontem:
Hìc ornamentum ſatis una eſt Clœlia magnum,
Clœlia Romulei laus inclyta Nominis: Auſi
Porſena ſit teſtis, patriusque haud immemor Amnis,
Fœmineo mirati animos in pectore tantos,
Vecta innaret equo rapidas dum fluminis undas:
Tantæ Animis olim Romano e ſanguine vires!

Alius Proſpectus minor ad Occidentem, ubi rursùs Via inter Lauretum & Muros flectitur læva ad Meridiem.

Haud procul inde, aditus ubi Flora recluſit in Hortos
Nuper amica ſuos, ſeſe jam tertius offert
Ambitus, occasûs quà neſcia vertitur Arctos.
Hìc Nymphæ comites, hìc virginis arma Dianæ,
Latratusque canum, venatorumque labores:
Unde repercuſſi voces & murmura colles
Ingeminant, ictæque ſonant ululatibus auræ:
Nec tanto circùm reboat clamore Cythæron,
Taygetive jugum, tua cùm trieterica, Liber,
Orgia lymphato ſtimulant ardore Lacænas.

DIANA. Tertius Villæ AMBITUS omnium vaſtiſſimus.

Cultricis vires Artis (cui ſingula curæ,
Auſpice Naturâ cœptis aut ſponte miniſtrâ)
Hìc verò attonitus miror, dum tendere vaſtum
Conſpicio ad Boream nullo quaſi limite Callem,
Altius hinc illinc quibus at claudentibus Alis!
Ardua nempe Ilex, geminum velut agmen, utrinque
Juſſa locis perſtare ſuis. ſed idonea tantis
Nulla tamen rebus pingat facundia Ramos
Tam belle preſſos, adverſa & fronte viciſſim
Rite adeo implicitos, frondisque perenne virentis

Via maxima ab ipſo aditu ad Septentriones inter Ilices pulcherrime itonſas longiſſimè excurrens.

Luxuriem attonsos, ut nil emersérit exlex
Ordine tam longo: virtus ceu sedula dextræ
Lævibus induxit virides cùm forte colores
Parietibus, densas ut fingeret æmula silvas,
Vestibulo decus, aut avibus solamina clausis.
Alia Via ipsa quoque inter Ilices sed multò brevior ad Occidentem.
Dum gressus primo Callis ceu limine sisto,
Se lævâ objiciunt Antri velut ostia longe,
Quæ scaber effingit sinuato fornice pumex,
Fons ubi perpetuus mediis e rupibus altas
Fons saliens in prospectu.
Ejaculatur aquas. assultibus excita crebris
(Mirandum auditu!) bombis crepat unda sonoris
Non secus, ac pressâ Pulvis cùm bellicus arcte
Membranâ inclusus vires exuscitat acres,
Scintillâ admota, nodosque effringit inanes.
Protinus, immensi quò ducit Tramitis æquor,
Tendo iter. En bino placide exultantia clivo
(Quà fulget Sol mane novo) pulcherrima late
Pratum pulcherrimum ad dexteram.
Prata virent, tacitâque animos dulcedine tangunt.
Surgit at in mediis Ulmorum silvula Pratis
In gyrum, foveâ & vallis circundata acernis,
Quæ tegit insidias visco tibi, Turde, paratas.
Quot passim damas, capreasque salire petulcas,
Arborea & videas attollere cornua Cervos,
Et mota trepidos aurâ prævertere cursu
Venatio.
Præcipiti ventos! Quoties hìc vidimus, ictas
Sternere quadrupedes igniti fulmine plumbi
Burghesios Fratres! Quæ vis pedis apta fugacis,
Aut vitæ qui possit amor subducere tantus
Tam bene directo miserabile vulgus ab igne?
Vidimus optantes Juvenes (ea pectora Natis
Quippe dedit Genitor) pecudes has inter inertes
Sive dari immanes Erymanthi e saltibus Apros,
Sive Caledoniis rabidos e montibus Ursos,
Sive Afro ingentes e littore adesse Leones.
Quà pelago Sol mergit equos, depressior offert
Sese Convallis, quam more instructa Phalangis

Exor-

Exornat Quercus. digeſtas ordine nullo
Jam ſileat Dodona ſuas. Oracula divûm
(Ut fama eſt) dantes Dodonia ſilva Columbas,
Eſto, aluit: patrii ſed littora amœna Cayſtri
Linquentes en fundere amant modulamina Cycni,
Flumineæ & volucres, tellus quas Indica miſit,
Ecce natant, merguntque caput ſtridentibus alis,
Hìc, ubi collectis ingens exuberat undis
Piſcina, occludit quam ſtructilis undique margo.
Fingimus inde tuas animis, o maxime Cæſar,
Naumachias; Auguſte, tuas; tractusque Lacunæ,
Domitiane, tuæ immenſos; & Stagna Neronis.
Attamen, immoto placidas quas æquore cernas,
Haud reſides torpent undæ: nam quidquid ubique
Eſt laticum, huc tubulis tellure meantibus ima
Devehitur; jugi dein lympha, excepta cavernis,
Deſilit effluvio. Quàm multo en agmine Piſces,
O Tiberine tui deſerto fluminis alueo,
Hoc malunt habitare Lacu; ſeu blanda locorum
Alliciant, ſeu tuta quies: hinc læta per auras
Se fundo evibrat, ſumma vel remigat undâ
Squamea progenies. Duplex jacet inſula lymphis
In mediis, humili belle circundata buxo;
Deſuper at Platani frondoſo vertice binæ
Utraque contegitur. Jam vos, Stymphalides undæ,
Cedite; namque iſtic haud noxius innatat ales,
Herculeâ vibrata manu qui tela fatiget:
Tu quoque cede, Palus, unde eſt Tritonia nomen
Palladi; tu ſpeculum Triviæ, Lacus inclyte: jura,
Virgo pudica, tui cedant, Arethuſa, liquores.

Convallis ad lævam, ubi Quercetum, quo in medio Piſcina ampliſſima.

Duæ parvulæ inſulæ in media Piſcina ad paſtum aquaticis Avibus ſuggerendum.

Convalle emenſa, vaſto dum Tramite pergo
Cœptum iter ad Boream, Tumuli de culmine lævi
Objicitur mihi parva Domus: ſed gloria Sedis
Non tenuis parvæ; namque hoc ſilveſtre Dianæ
Hoſpitium, hæc requies, multa cùm cæde ferarum
Exacta pharetras jàm feſſa appendit & arcus.

Exigua Domus elegantiſſima.

Quæris, quî rerum hìc ſplendor? penetralia tantæ
Quo decet eſſe deæ. Duplex his adjacet Hortus
Ædibus. e myrto hìc videas Topiaria luſu
Serpere multiplici. Malus tegit aurea muros,
Atque ornant gemini ſcabro de pumice Fontes.
Marmora condecorant cælis perarata vetuſtis
Bina Fores. Longum ne Puppes Aulis ituras
Detineat Grajas, Euris agitantibus æquor,
*Calchantis. Theſtoridæ * dictis pietas ſuperatur Atridæ;
Atque hìc ante aram ſtat placatura furorem
* Filia Agamemnonis. Iphigenia * deæ. lacrymis ſed victa Puellæ
*Romulum & Remum infantes. Cynthia ſupponit Ceruam. Larentia * Patres
Lactentes ibi, Roma, tuos miſerata ferinis
Abſtrahit uberibus. Tecto interiore refulgent
Ante alios Triviæ Genitor, germanus Apollo,
Liber, & Alcides, & quæ memorabile Divæ
Geſta decus pariunt. Rabidos hìc viſcera Cervo
Dilaniare Canes videas. cuſtodia nuper
(Heu!) domino bene fida ſuo, nunc fævit in ipſum
Neſcia. divinos ſed clàm temerarius artus
*Diana. Viderat Actæon, dum ſe * Latonia Fonte
Tergeret Arcadio. Gemina dum prole ſuperbis,
O Chione, faciemq; audes culpare Dianæ,
Das illic pœnas linguam trajecta ſagittis.
Divûm aris offert, ſolemnia munera, Frugum
Primitias Œneus; numen ſed præterit ultrò
Ille Hecates: Aprum Calydonia mittit in arua
Virgo furens animis, meſſes ut vaſtet opimas.
Nympharum e numero, Calliſto, excluderis Urſæ
Mutata in faciem, quòd probris auſa nefandis
Virgineos temerare Choros. Ultura parentem
Delia Latonam fratri comes addita Phœbo
Transfigit Niobes chariſſima pignora telis.
Quot ſæcli pretioſa novi, quot mira vetuſti
Intus habet monimenta Domus! Cryſtallina menſis
Theca fedet geminis ingens. hìc plurima Dextræ

Sunt

Sunt * opera egregiæ ſpatium dimenſa diei,
Tanta unde auctores extollit fama Britannos.
Collecta hìc videas præclara Numiſmata, priſci
Res ævi, Auguſtos ſimul & referentia primos,
Auguſtasque Nurus, Latialis & Acta Senatus.
Tramitis hinc adeo fines, ubi vaſta rotundæ
Stat duplex Hydriæ moles, quæ Maſſica quondam
De more (ut perhibent) multos ſervavit in annos.
At medium tenet Urna locum, quæ Manibus olim
Ampla quies fuerat Latiis; celeberrima quales
Hinc atque hinc Cinerum, jam viderat Appia, Sedes.
Obvius occiduis greſſus dum flectitur auris,
Ad lævam apricus diffuſo vertice Collis
Offertur. late circùm proſpectat aperto
Ceu Specula e Tumulo: ſtratis hìc retibus, Auceps
Aut ære aut clausâ volucres ciet oſcine longe;
Inde avidas propiùs modulis alludere amicis
En ſuperinjectis media inter gaudia raptim
Obruit ille plagis. Imbres gravis halitus Auſtri
Quà vehit, elato digeſtas æquore Pinos
Cernimus, & pulchras Villæ Cultoribus Ædes
Addictas. Celſis ubi cingitur Area muris,
Alituum peregrina cohors hìc paſcitur: omnes
Tu tamen, a Phariis, ſuperas, Avis advena Regnis.
Excipiunt dextrâ Pinos Fruticeta, ſalignis
(Caſtrorum ritu) aſſeribus quæ clauſa receptus
Dant Leporum ſoboli tutos: at pervia multis
Illa viis intus, Triviâ venante, ſagittis
Undique (væ Leporum turbæ) male tuta pateſcunt.
Poſt Frutices denſata umbras ubi ſufficit Alnus
In gyrum, hiberno ſpargente Aquilone, coactis
Hìc nivibus ſedes; quas nec diſſolvere opertas
Æſtivi potuere dies, nec Sirius ardor.
Hinc Bacchus quoties, pateris ingentibus hauſtis,
Miratus media gelidos æſtate liquores!
Haud procul aſcendens plano frondeſcere cerno

* Horologia Anglica.

Proſpectus Viæ aSeptentrionibus.

Aucupium.

Cinetum.

Leporum Vivaria, ſeu duæ ſilvulæ rectis tramitibus mirè diſtinctæ, & aſſeribus circumcluſæ.

Puteus ad nives aſſervandas.

Nemus amplissimum.

Æquore grande Nemus. quàm multa hìc semita opacis
Obvia curriculis, quoquò prospexeris, æquo
Ilicibus quincunce satis! Industria, rerum
Communisque Parens, vires hìc fœdere juncto
Latius ostentant: paribus dimensa patentem
Illa locum spatiis certo serit ordine Plantas;
Sic lege humores hæc suggerit omnibus æquâ
Caudicibus; succum nec subbibit arboris arbos:
Explicat hinc late parili se stipite Silva;
Atque animum hinc pascit Nemoris prospectus amœni.

Duæ Viæ supra quàm dici possit visu jucundæ per Ilicetum a meridie ad Septentriones longissimè excurrentes.

At quamvis alibi simulata Tapetibus Ilex
Munierit Calles, tamen hìc, ubi Semita apertum
Bina iter instituit longo planissima ductu,
Nectitur & tonsis utrinque ubi frondibus Arbor,
Ceu Calle obstupeas primo. mirere profusos
Scilicet hìc sumptus; Artis mirere labores
Ingentes, speciemque Loci, quæ carminis omnes
Exuperat vires, soli bene cognita menti.
At quæras quæ meta Viis. hanc Hydria vasto

Prospectus Viarum a Septentrionibus.

Prospicit orbe duplex, illam Cavea ampla Leonum,
Et Tigridum: fœcunda parens huc africa Tellus
Miserat, ac nigris horrens Hyrcania silvis.
Hìc etiam, sedes Cineri, vetus Urna, Latino,
Præ Caveâ erigitur prisco cælata metallo:
Jupiter hìc Cœlo exturbat Phaethonta vibrato
Fulmine. ni faciat, terras, cumq; amnibus æquor,
Aera, cum fixis errantiaq; astra, deorum
Tecta simul, divûm simul & Penetralia Regis
Quippe vorent flammæ. Vasta te regius urnâ
Excipit Eridanus, Phaethon: alia arte regendos,
I nunc, Solis equos, currusq; auriga paternos
Expete mortalis, majoraque viribus aude.
Progeniem interea crines laniata sinusque
Ut, Clymene, defles! tantæ tu causa ruinæ,
Dum nimis indulges, patrios & adire Penates
Prolem insana doces. Per devia vectus anhelo

Phœ-

Phœbus equo, comitante Hecate, trans sidera gressus
Intendit volucres, & Mundi lumina servat,
Tædam agitante manu. Faciles heu Patris amores!
Heu nimia audaci permissa licentia Nato!

Qua ruit oceano Titan, Villæ Ambitus ultrò
Panditur extremus. Pomis quæ Diva tuendis
Præsidet, aut istic, aut nusquam rite superbit
Divitiis tumefacta suis. Vallata cupresso
Sensim declivis recipit me Semita: cursum
Hæc ubi deflectit, Sellâ consîdit in ampla
Consulis effigies. nacta est ut nomen Imago,
Tune ille Arpinas, Latiæ clarissima Linguæ
Gloria? cui Fasces olim meruere Latinos
Victrices Causæ; felix quo Consule Roma;
Per quem consiliis, periit Catilina, retectis;
Extorrem quem læta humeris subvexit in Urbem
Italia, atque ulli nondum subjecta Parentem
Dixit Roma suum; quo vindice salva, Quirino
Debuerat minus illa Patri. commissa papyro,
Quam geris, invicti nunquid Tutela Milonis
Inclyta? num plausu celebrata Philippica tanto?

Sidus ad arctoum flexi longo æquore Callis
Emenso, Valvas ubi dextra ostendit ahenas,
Regia Pomonæ hìc Sedes. Venalibus arbor
Fœtibus at nulla hìc dives: vulgaria servet
Poma alibi hortorum Genius. Bino agmine, Septum
Per medium longe hìc videas decurrere ad Austrum,
Fornicis in speciem, præclaræ Germina Citri,
Queis cultrix insigne dedit Florentia nomen:
Talia nec Medus, nec Persica Regna tulere;
Nec paria Assyriis tellus enixa Viretis.
Mirum, suffultos passim pendentia ramos
Pondera quæ lassent! fœtus quot surculus amplos
Unus alat nexos! Maturis usque recentes
Hìc subeunt partus. non deficientia largo
Auspicis Ingenio spondet sua pignora Citrus:

POMONA Quartus & ultimus Villæ AMBITUS. Via ex aditu ad Occidentem.

Prospectus ejusdem Viæ, quæ hìc flectitur ad Septentriones.

Cedrati di Firenze.

Quippe videns Latiis addictos munere Fructus
Semideis, hinc Arbor opes uberrima fundit
(Credo equidem) egregias, tantoque superbit honore.
At recreat quàm dulcis odor! sua cinnama dives
Ne mihi jactet Arabs; bene olentis aromata costi
Persia ne celebret, croceosve Timolus odores.
Me, post aureolas celso curvamine Malos
Inflexas, simili vallatus Germine Circus
Accipit. ex alto labentes jugiter undas
Hìc porphyriaco, veteris labor inclytus artis,
Colligit Urna sinu. Volucer quem Pegasus olim
Rupibus Aoniis Laticem pede movit adacto,
Num tulit huc Phœbus? namq; hìc, duce Apolline, Cœtus
Astat Pieridum. Lethæis eximit undis
Clio gesta Virûm. grandi dum personat Ære
Calliope, ingenuos Erato modulatur Amores.
Vel canit arvorum cultus Hortûmque Thalia,
Vel mores carpit, soccis induta, Popelli:
Erudit at Summos tragicis innixa cothurnis
Melpomene. dulces edit tibicina cantus
Euterpe; verbisque pari Polyhymnia gestu
Induit effictos lepido sub Dramate vultus;
Et citharæ gaudet sonitu festisque chorcis
Terpsichore. at tu despiciens terrestria, Sedes,
Uranie, æthereas sublimi concipis œstro.
Ille, reor, patrios cernens liquisse Penates
Arcadas, atque Italis habitare decentius oris,
Undique Parnassi Odrysio concussa tumultu
Culmina pertæsus Latias migravit ad Arces;
Nominaq; ascriptis magno deducta Quirino
Vatibus ipse dedit. Celebres hìc nempe ministrant
Materiem Calamis Fidibusque Tubisque perennem
Romulidûm Laudes: Trino seu tempora Serto
Cingat adorandus supremi Claviger Orbis,
Atque immortali perfusâ nectare Linguâ
Divinæ referet Populis Oracula Mentis:

Seu

Seu merito Heroas circundet Lumine ſacros
Purpura, lucidior roſeo quos murice Virtus
Inſignit: largis decorent ſeu ſumptibus Urbem
Ac Pompis, quales vix aurea viderit Ætas,
Regum Oratores: Proavûm ſeu Geſta Nepotes
Magnanimos ornent, ſimiles & Laudis amores
Cordibus inſtillent. Felix o Roma, ruinis
Atque Erebo quanta exurgis! venerabile Terris
Tu Fidei Oraclum; PATRIS tu Regia ſummi;
Tu Sedes dilecta Deo. mortalia temnens,
Imperium atque Animos æquas nunc verius Aſtris.
E Circo ad gelidas faciem dum vertimus Urſas,
Ecce Viam dextrâ elatam, quam celſus ab Euri
Viribus obvallat Paries. longo ordine Citrus
Medica murorum veſtit latus, undique fœtus
Pondere onuſta ſui: quin Labris germinat Arbor
Inſita fictilibus paſſim. Quòd Chloridis Hortos
Pomona aureolis ornaverit hoſpita Malis,
Huc, meritæ bene grata deæ, ſua munera Chloris
Attulit: hinc variis Carcheſia Floribus halant,
Ipſaque pulvinis tellus amplexa ſubactis
Semina alit, citreis ut odoribus addat odores.
Haud procul extructi ſubeo jam limina Tecti, Domus, qua in media eſt
Quò vocat Impluvium. ſimulatæ hìc pumice Cryptæ, Area ſub dio, ubi Ludicra
Et belle inſertis Emblemata multa lapillis Aquarum.
Qualem perpetuis ornatum Fontibus addunt?
Exigua at fulcro ſubnixa e marmore Cymba
(Quæ plateâ erigitur media) ſiphone recluſo
Quàm celſas evibrat aquas! quot imagine rerum
Aera per vacuum effictâ, quot luſibus undæ
Mirificis recreant oculos! Umbella, vel Iris,
Vel Cyathus, ſpiſſo Nebulæ vel rore madentes,
Aut fragor excuſſi gravidis e nubibus Imbris,
Aut medio Puppes abſorbens æquore Vortex,
Sidera, Flos, Lampas, pernicibus Orbita gyris,
Effigies hìc nacta ſuas. Poſt ludicra velox

Hinc

Hinc nisi decedas, subita te aspergine mille
Ante fores tubuli obsideant: gravis imbribus Auster
Non secus effusos atro ciet æthere nimbos,
Agricolas terræque sitim solatus hiantis
Icario torrente Astro. Latet abdita aquarum
Calliditas passim: ludis, sic lympha, peractis,
Hospitibus malefida comes, pensare laborem
Visa suum. E tophis amplo manare sub Arcu
Pone Domum videas Laticem. quæ pergit ad Arcton
Hinc muro ducente, Viam Nemus excipit: Arbos
Lauretum. Multa ibi, Victori Mavors petit unde Coronas,
Et gratus parat unde suo pulcherrima Phœbus
Præmia Cultori. Daphnes Pater optime, quondam
Lauretis spoliasse ferunt tua littora Regem
Castalidum, cultos ditasse ac Tibridis Hortos
Germine delecto, quòd sæcula viderit olim
Illustres magno paritura sub AUSPICE Vates,
Altius unde iterum consurgeret aurea Musis
Gloria Romuleis. Veteres ubi dextra ruinas
Indicat, hìc etiam Tumulo ceu pensilis alto
Hortulus insidit Floræ. dea culmine celso
Extulit hanc regni partem, quò puriùs auras
Littore ab Hesperio Zephyri captaret amicas.

Via pulcherrima à facie Domus adOccidentem excurrens eo usque, ubi alter magnificus Villæ Aditus.

Tecti, ubi lympharum Lusus, e limine ad oras
Occiduas longe videas excurrere Callem,
Cui Fruticum series comitem sese addit utrinque
Et ramos innexa comasq; attonsa virentes:
At certis bene culta locis supereminet Ulmus.
Quà spirat Boreas,, & quà madet halitus Austri,
Jucunda Hortorum facies; ubi Gallica Sepes
Multiplices tutata vias; ubi tonsile buxum
Innumera effingit vario Topiaria ductu,
Quæ frondes simulant, volucres, diademata, flores.
Burghesia hìc cernas præclara Insignia, quæque
Burghesiis Tædæ inseruere subinde jugales.
Præbuerat quæ fulmen Avis generosa Tonanti,

Un-

Unguibus ad pugnam roſtroque laceſſit adunco
Deſuper, alatum ex ima tellure Draconem
Plurima conantem adversùm ſe attollere; niſum
Sed premit alarum molis grave pondus obeſæ,
Arrectæque obſtant immenſa volumina caudæ.
Vel Clypei ſpatio florum Regina ſupremo
Cernitur; at medio tranſverſæ Stemmate Vittæ,
Declives imo. Crucibus vel Sidera nexis
Addita, tergemino hinc illinc fulgore coruſcant.
Aliger aut vacua Draco ſibilat alter Arenâ,
Totasq; intendit ſublato pectore vires
Exectam ulturus caudam. Vel diſcolor offert
Se Tabulæ ſpecies, ubi milite primus acerno
Naupliades * olim, reſides ne caſtra foverent,
Inſtruere armatas acies docuiſſe Pelaſgos
Traditur: at ſpatio ſubſtat ceu Conus aperto,
Euboicæ inſidens, verſo mucrone, Tabellæ.

Stemma Burgheſium.

Stemma Urſinum.

Stemma Aldobrādinum.

Stemma Bonicompagni.

Stemma Spinula.

*Palamedes.

Jam Calle emenſo, en Aditum venientibus aptum
Exinde Hoſpitibus, ſacram quà ducit in Urbem
Flaminiæ ſtratura Viæ. Citharœdus Apollo,
Imperat Aonidum qualis nova Penſa cohorti,
Hìc reſidet, fidicenq; Orpheus. lætiſſima * Natum
Calliope hoc ſtatuit redivivum mater Aſylo,
Dilectæ rurſus ne Prolis viſcera fleret
Ogygio diſcerpta choro. Quòd conjugis Umbram
E Styge non potuit ſuperas educere ad auras
Infelix vates, Rhodopeia culmina mœſtus
Incolit, Iſmarias quot dedignatus amantes!
Hìc Fidibus de more ſuas tam dulce querelas
Edit, ut auditum volucres, animalia, ſilvæ,
Ac rupes veniant. ſed qui mollire canendo
Vel cautes potuit, muliebria corda nequivit:
Nam ſua lymphato peragentes Sacra furore
Mænades infixis laniarunt Orphea thyrſis,
Nunc aude, ajentes, noſtrum contemnere ſexum.

*Orphenm.

Ex alto manant Latices utrinque perennes

An-

Ante pedes Vatum . celebres quin Alveus Undas
Hàc vehit, Auguſtas olim quas ductor Agrippa
Dixerat, haud temerè ſed poſt dixere Minores
Virgineas: puræ meruere hæc nomina Lymphæ.
Interea divi, vos hæc Viridaria, Vates,
Phœbe Heliconis honos, & qui ſaxa allicis Orpheu,
Vos immortali (par eſt) celebrate volentes
Carmine, dum noſtra hìc longo jam feſſa labore
Subſidet, ac vivo ſe proluit amne Thalia.

ima.
tiffi-

quo.


J. Vorbergs f.

VILLÆ BURGHESIÆ

Liber Tertius.

BUrgheſii invitat jam me lux prima Vireti,
Excelſi nova laus Animi, nova gloria Dextræ
Mortalis, meliore Tubâ celebranda per Orbem,
Auctori DOMUS æqua ſuo. Vos dicite, priſci — DOMUS magnificentiſſima.
Romulidûm Manes, num viderit alta Quirini
Urbs olim tanto decorata Palatia cultu.
Quæ Nemus elyſium colitis, vos dicite, Vatum
Illuſtres Animæ, veterum num limina Regum,
Limina magnificis per vos celebrata Camœnis,
Dicite, num tanto fulgerent aucta nitore.
Heſperidum Cultus inter, Panosque Lycæi
Secretas Umbras, geminos & Chloridis Hortos,
Splendida conſurgit Moles, Faciesque quaternas
Explicat a primis quà adverſo flamine Ventis — Ex obliquo.
Aura venit. Quidquid docuere Corinthus, Iones,
Dores, & Hetruſcæ felix induſtria Gentis,
Quidquid & antiquis ſæcli ſolertia noſtri
Addidit Inventis, tota huc vis contulit Artis.
Æſtivos Zephyri quà temperat aura calores,
Se princeps aperit Facies pulcherrima, ternas
Diviſa in partes. medius quà attollitur ordo,
Aſcendit Graduum ſeries ad limina duplex
Obvia utrinque ſibi, quam protinus excipit ampli
Veſtibuli ſpatium quinis e fronte pateſcens
Arcubus. Impluvii ceu penſilis area celſi
Veſtibulo inſidit, pulchri quam marginis inſtar
Exiguis claudunt inſtructa periſtyla pilis:

Quo

Quo tractu Moles simul ac secessit aperto
Evehit excelsum nimbis contermina tectum :
Dein geminæ emergunt summo de culmine Turres,
Quæ facilem, cochleæ gyro ceu tortilis, aptant
Ædibus ascensum. Impluvii dum surgit utroque
Ab latere hæc Sedes æquato vertice, Frontis
Hinc alias effert nullo discrimine partes.
Ex imo Paries hæret porrectus utrinque
Non tenuem Fronti simul adjecturus honorem
Usque illuc, apices ubi Pyramis erigit altos.
Jam Facies omnes (& quà suggrundia prostant,
Et quà sublimes, ceu Tecti lumina, Postes
Immittunt lucem) ductæ vel rite coronæ
Undique præcingunt, imitatave plasmata fasces,
Quos Floræ comites, & quæ Pomaria servant,
Nectere amant Nymphæ, Templis sua dona parantes.
Quis memoret, qua lege & qua digesta sit intus
Arte Domus? Placidi quà murmurat aura Favoni,
Vestibulo emenso, tibi se vastissimus Atri
Ambitus objiciat, Latio quem more patentem
Magnifice videas. Quà venti flamina Moles
Ebibit eoi, sese minor ambitus Aulæ
Offerat; haud dispar huic Porticus insidet altè,
Quæ matutino quinis patet arcubus Euro.
Altior e medio rutilat quà Phœbus Olympo,
Quàque micant Ursæ, Conclavia utrinque quaterna
Te accipiant infrà, totidemq; ingentia suprà.
Quæ verò hìc fulgent, Artis Conamina priscæ
Quis referat? Sedes penetrales, Atria, Frontes
Exornat rerum non enarrabilis ordo.

Signa, triumphatis quæ Roma evexerat Argis,
Et quæ Romuleæ potuere excudere Dextræ
Arte pari, fuerant aut Manibus addita Auorum,
Sedibus aut Procerum, aut Templis decora alta Latinis.
Arctoo veniens at barbarus Hostis ab Axe
(Sic visum Superis) velut excita Erinnys ab Orco

Ita-

Italiæ excidio, Latias dum verteret Arces,
Atque ſolo æquaret ferro Caput Orbis & igne,
Perdidit infandis (heu!) tot vel fracta ruinis
Artificis Portenta manus, tellure ſub ima
Funditus everſis vel condidit obruta Tectis.
Ut demum optata reſplenduit Iride Cœlum,
Terrarum Regina potens emerſit ab alto
Pulchrior exitio: accenſis ſub Sole reſurgit
Qualis & ipſe ſui reparator, ab ignibus, Ales.
Tempore jam ex illo Patriæ ornamenta ſepultæ
Eruit e ſcrobibus memorum pia cura Nepotum,
Plurima. Nec te, Burgheſiæ lux inclyta Gentis
Scipio * ſerum adeo Mortalibus Aſtra dedere, Scipio Card. Burgheſius.
Quin poſſes reparare Urbis miracula avitæ
Tu quoque multa: Animus Patriâ tibi dignus ab Aſtris
Inſitus, atque Animo haud impar conceſſa poteſtas:
Scilicet ut tantam poſſes attollere Molem,
Ordine cui miro priſcis inſculpta metallis
Marmora, quæ veterem ſparſim diviſa per Urbem
Ornavere Vias Ædes & Fana deorum,
Inſereres collecta ſimul; non Atria faſtu
Plenus ut incoleres immani ſplendida luxu,
Artibus egregiis ſed quô adjumenta parares,
Et Sæcli luſtrare avidis monimenta vetuſti
Subjiceres oculis veterum ſpectacula Rerum.
Tot Decora, excelſæ quæ Moli inſerta refulgent
Undique, ſive amplis extantia Anaglypha ſaxis,
Pectore ſiue tenus, toto ſeu corpore Signa
Ædiculis aptata ſuis, ad ſidera tollant
Artifices, ni virtuti malefida vetuſtas
Heu! tanta immergat lethæis Nomina lymphis.
Qui tamen ignoti Stygia conduntur in umbrâ
Sculptores, quod longa ſuis jus invidet ætas
Nominibus, ceſſere tibi, Vir magne, libentes,
Egregios tanta qui donas luce Labores.

Proximus immotâ dum talia mente tuerer

Li-

Limina, & hærerem obtutu defixus in uno,
Haud majora fide visa est retulisse, nitentes
Has mihi dum longe Sedes ostenderet Ægle
Hesperidum major. Primi dixere Pelasgi
Quas olim Charitas, tribus hæc nitidissima (dixi)
Credita Virginibus quàm rite Sororibus Aula!
Si quæras, Hospes, quæ fors huc miserit illas,
Accipe (Ductor ait) senior quæ narrat Amyntas.
Ambitiosa Venus dum se genuisse Puellas
Dictitat, ac pulchrâ nimium dum prole superbit,
Unanimi simul ore negant se Cypride natas
(Quippe pudet) Charites, concordi & voce parentem
Eunomiam celebrant: Venus inde exæstuat irâ,
Fonte & Acidalio, læsum decus ulta, Sorores
Ejicit. Ausonio optatas in littore sedes
Dum profugæ quærunt, hos monstrat Fama Recessus.
Servanda augustæ melius cui crederet Auctor
Ornamenta Domus? Exceptæ Sedibus amplis
Tergemino optavere sibi discrimine munus
Custodes. rerum triplex id jusserat ordo;
Qui micat exterior, geminus qui prænitet intus.

CHARITES. Talia dum memorat Ductor, velamine tectæ
Occurrunt niveo Charites: namque alba pudicas
Palla ferè divas amicit, ni ducere malint
Secluſa de more hilares in parte choreas.
Ilicet, exterior tanti cui Gloria curæ est
Liminis, Euphrosyne placido prior incipit ore.

EUPHROSYNE. Etsi, Hospes, quæcunque vides molimina Dextræ
Per te nosse vales, rerum tamen utilis index
Forte tibi veniam. jubet hoc quin maximus Hæres.
Si tamen Ornamenta velim per singula vocem
Ducere, Apollineæ quæ vis uberrima linguæ,
Quæve satis tam longa dies? Quæ inserta coruscant
Quocunque aspicias, Decorum te summa docebo.

Prima Domus Facies ad Occidentem ex obliquo. Hæc princeps Tecti Facies tua lumina primùm
Detineat. prius at cernas quæ Molis utrumque

Si-

Signa latus decorant, ubi fulcra ingentia surgunt — Statuæ 4.
Nixa solo, Pharii celeberrima viscera Montis.
Sergius * en illic squamis thoracа rigentem — * Sergius Galba.
Indutus, qualem gladiis sua Roma petitum
Viderat; ecce gerens istic Aurelius arma,
Quali jam peperit Germania victa Triumphum.
Qui porphyriaco tecti velamine Parthi
Ore truces astant, Currum victoris in Urbem,
Vere, olim traxere tuum. Vastissima utrinque
Signis quæ duplex interjacet Urna, calentes
Hæc Thermis, Agrippa, tuis suffecerat undas.
Addita porrectis, Hospes, cælamina Muris
Protinus inspicias. En hìc quæ signa doloris
Exprimit, Absyrti crudelia funera plorans
Infelix Genitor! si rapta Cupidinis igne
Vel fratrem Medea necat, fœdatque Parentis
Ora, heu! mortales quid non, Amor improbe, cogas?
Haud procul, uxorem, qua vicerat auspice dirum
Semibovem, Naxi deserto in littore Theseus
Liquerat infidus: lacrymas at prodita amaras
En tergit, Baccho gaudens Ariadna marito.
Parte alia teneram gerit ab radice cupressum
Silvanus, reliquum misero solamen amanti:
Ipse tamen truncus redivivi est causa doloris;
Nã memor hinc deflet, nemus omne ululatibus implens,
Interitum, Cypariſſe, tuum. Qui præsidet Orco
Subvectus curru Siculis erumpit ab antris:
Dumque choros agit Ennæis comitata puellis
Progenies * Cereris, Stygias vi rapta sub umbras — *Proserpina
Tartareo en cedit coniux invita Tyranno.
Altior Impluvio quà sese attollit in auras — Septeni utrobique Rerum insertarum Ordines.
Hinc atque hinc, parili rerum decorata nitore,
Pars Frontis duplex; utrinque en, Hospes, ab imo
Tergemina innumeris extantia marmora Signis.
En dextrâ Cererem, quæ vecta Draconibus æstu — Primus ordo.
Fluctuat irarum, quòd rapta in Tartara nuper

Unica Progenies. Solio Proſerpina Ditis
Eminet, ac Pomum matri fatale dolenti
Oſtendit lacrymis oculos ſuffuſa pudicos.
Quæ Cereri ſupereſt requies, en porrigit ægræ
Interpres Divûm paritura Papavera ſomnum.
Illic interea plauſtro Cythereia Proles,
Aligera fratrum turbâ præeunte Minorum,
Invehitur. lætus ſimilisque infertur ovanti
Nempe Amor, hortatu matris quòd corda vaganti
Per fines Erycis Plutoni fixerat haſtâ,
Rex quoque ut umbrarum concepto ſaucius igne
Tentaret raptus; Erebusque ſubeſſet Amori.
Iſtic edomitis rediens Lenæus ab Indis
(Teſtis adeſt Elephas) comitum ſtipante cohorte
Inſidit cataphractus equo; ſed largius hauſto
Corruat ille mero edomitus, ni turba cadentem
Fulciat Eviadum: Fauni ridete triumphum.
Parte alia en gemino vehitur Latonia curru:
Addictum æterno Latmi ſub rupe ſopori
Endymiona ſuum petit hìc; adhibentibus Horis
Calcar equis illic curſus magis illa citatos
Inſtaurat, longaſque moras rapidiſſima penſat.
Ab latere hinc illinc ſolemnibus aſpera Ludis
Saxa vides. campo Juvenes certamen aperto
En bigis ineunt: hic ut furibundus anhelis
Ad metam feſtinat equis! ille æmulus acres
Ut ſtimulat bijugos! ſed curru hic lapſus ab alto
Volvitur in præceps; rapiturque in devia plauſtrum.
Talia jam ſoliti Magno certamina Circo
Æquoreo votiva deo celebrare Quirites;
Quæ prior indixit Romanæ Conditor Arcis
Dum nova naſcenti connubia quæreret Urbi.

Secundus ordo. Jupiter.

Quam dextrâ cernis vaſta conſurgere mole
Numinis effigiem, Veteres dixere Tonantem.

Apollo.

Qui lævâ effulget viridi florentior ævo,
Noſcitur e cithara, ſimul & Pythone perempto,

Qui

Qui truncæ en hæret, Victori Gloria, lauro.
Hac parte ædiculam sublimior implet Imago (Pectore sculpta tenus) Tiberî, cui fronde corona Texitur e querna. dedit, ipso in flore juventæ, Dacia cum Mysis, cum Pannone Dalmata victus Tale decus. Niveum ferit hinc Victoria taurum Propitiis bene grata Diis. hinc præscia vates Demophile en Prisco divina volumina defert. Parte illa assimilis truculento Commodus ore Cernitur: en sævâ clades ceu mente volutat, Sanguis ut extinguat conceptam civicus iram. Hinc, lateri affixus, medicæ qui præsidet Arti Opportunus adest. hinc Cressia Taurus in arva Vectat Agenoridem; frustraq; e littore clamat Turba puellarum. mens o nequissima Avorum! Quæ casto (proh turpe scelus!) quô fræna Pudori Solveret, ausa animis assingere talia Divûm. Tertius ordo.

Altiùs en istic pia gens amplexa ruentem, Junonis magnæ dum te, Vulcane, parentis Dedecus excipiunt dejectum littora ab Astris Lemnia. Non procul hinc Puero Venus oscula figit, Dardanio Anchisæ genuit quem Diva, subustos Patria cui quondam commendatura Penates. Sed jam tempus adest, flammæ quo Troja voraci Proxima; nam bigis sævi raptatur Achillis Haud longe hinc Hector, Priamo poscente cadaver. Fronte alia Alciden Tritonia Virgo sedentem Excitat, ut contra secum ferat arma Gigantes Cœlitibus laturus opem. Mœstissima Natos Aspicit infantes patriis a finibus exul Antiope. ulturi matrem quæ pectore volvent Zethus & Amphion! Quid tecum, Romule, acerbo Versares animo tacitus, dum maxima Equestri Ludicra Neptuno instrueres, Populosque vocares Undique finitimos, medius Lapis indicat. atrox Concitat hìc bellum, raptis sine more Puellis, Quartus ordo.

Hoſpitii temerata fides. ibi cernimus ante
Ora patrum lacrymis tollentes Pignora fuſis,
Et pacem orantes defecto crine Sabinas.

Quintus ordo. Poſt terna hinc illinc referentia marmora ludos
Vel Puerûm in Silvis, media vel in æquoris unda
Nereidum, invitant armatæ Virginis ora:

Sextus ordo. Threicio geſtatur equo, bellisque paratur,
Auxilium in Danaos Phrygiis latura maniplis
Pentheſilea ferox, uni quæ cedat Achilli:
Hinc atq; hinc præſto eſt Rhodopeia Mænas ab Hæmo.
Qui contrà ſedet altus Eques, decorare Triumphis
Luſtratam potuit Romam, Patriamque Robertus
Ariminum. juxtà volitans tu, Fama, per orbem,
Cynthia tuque Virum celebres, quacunque pererras.

Septimus ordo. Ingentes, Hoſpes, binos ubi Gryphas utrinque
Fronte vides ſumma, en gemini hinc Heroes ab alto,
Bellica quos olim Virtus ad ſidera vexit;
Sanguinis ecce illinc auguſti Octavia lumen,
Et ſerto redimita caput Domitilla decoro.

Quæ media erigitur, jam Pars pulcherrima Frontis
Allicit obtutus. En ut, clariſſima rerum
Lumina non unus belle diſcriminat ordo!
Non vulgare decus Gradibus, quem margine vaſtum
In ſummo Cratera vides, induſtria miris
Cinxit imaginibus. Flexo Carcheſia fundo
Taurinum fingente caput, decorata racemis
Aſpice utrinque; ſimul dextræ mirare laborem.

Deſuper en totidem inſidunt cælamina quinis
Arcubus. Ecce iſtic Juvenum comitante maniplo
Obſidet arua ferox late Meleager, & Aprum
Irata miſſum a Trivia Calydonis in agros

*Atalantam. Interimit. fato ſed quo compulſus * Amicam
Aſcivit comitem? Victoris munere victrix
Exuvias dum læta refert Atalanta, Caputque
Dentibus inſigne extollit, quot cauſa malorum eſt!
Hinc Juvenum, ſtimulante Hecate, præcordia livor

Exe-

Exedit, ac rapitur munus. Spoliata trophæo
Dum deflet Virgo, ulturus Meleagros Amantem
Raptores ruit in medios, fratresque Parentis
Ecce necat. fratres simul ipsa ultura peremptos,
Aversis a cæde oculis, * Althæa, maligno
Quale animo meditata nefas! At bina recursus
Phœbi, Annique vices fingentia saxa quaternas
Aspicis; & quæris, cur Anni tempora Bacchus
Hìc inter sedeat medius quasi jura daturus.
Quin passim se multa tuis simulacra Lyæi
Objicient oculis. divûm coluere catervas
(Jam nosti) Veteres: Baccho at præsentius ullum
Haud illis fuerat numen; nam pectore certum
Ferventi sensere deum. si plurima Bacchi
Ora vides, divo memores posuere merenti
Artifices monimenta Manus. Phaethonta Sorores
En miseræ ut plorant istic! quin corde sub imo
Mœroris vis tanta furit, conversa repente
Corpora ut Heliadum (dictu mirabile) in amplos
Accrescant ramos, unde orta electra perennes
Instaurent lacrymas. Casu perculsus acerbo
Tu quoque, Cycne, gemis, Ligurum fortissime Ductor;
Quin (animo tantus gliscit dolor!) Alitis ora
Induis, ut mœsto renoves modulamine luctus.
Dum supplex illic vitulas propellit ad Aras
Rustica turba hominum, sacris & Fœmina vittis
Dum caput obnubit, læsæ devota paratur
Victima Latonæ. longo nam diva labore
Fessa viæ, Lycio quondam relevare petivit
Fonte sitim; ast undam immanes vetuere Coloni.
Humano indigni fuerant quot nomine Agrestes,
Vidisses totidem limoso in gurgite ranas.
Altius en fulgent spirantia Signa minuto
Nixa peristylio. Narrare hinc visa * Propago
Alcmenæ, Hesperidum qua vi penetrarit in Hortos,
Carpserit & Fructus. ast aurea Poma gerenti

* Mater Meleagri.

Statuæ 4.

* Hercules

* Mercurius Hinc velut insidias * Hermes parat invidus ; ægre
Quòd ferat, insignis palmam sibi furis ademptam.
Hic verò Hermetem fallunt sua vota rapacem ;
Nam vigil Alciden custodit utrinque Satelles.

Statuæ 6. Impluvio emenso, quà iterum Domus edita surgit,
* Ceres En geminas, spicis gaudet quæ * diva repertis,
Obtinet ex imo sedes : venatibus altas
* Diana Fessa * dea ædiculas implet, dein pollice Phœbus
Dulce sonans, vittisque caput præcincta verendis
Innuba Vestalis. cœtum temerare sacratum
Ore audet Caracalla suo. Si Pectora celsis
Postibus imposita aspicias, en sedè Severus
E media, & geminum, dextrâ lævâque, refulget
Matronæ sublime Decus. Tua, Jupiter, ora,
Amphitryoniadæ facies, & Cæsaris icon,
Oraque Trajani, loculis aptata supremis.
*M. Antonii. Pensilis at Plateæ dextrum latus ornat Imago,
Domitiane, tua, & lævum * Ducis inclyta bello
Effigies ; Orbis communia Jura regendi
Qui tamen Augusto cessit, dum territa Martis
Horrendum Actiaci fugeret Cleopatra tumultum.

Eurus quà felix Nabathæos efflat odores,
Altera Domus Facies ad Orientem ex obliquo. Altera se Facies aperit, quam sedibus imis
Innixa exornant ingentia Marmora, vivos
Quatuor hinc, totidemque illinc simulantia vultus.
Statuæ 8. Perseus. Semidei, anguicomæ secuit qui Gorgonis ora,
Jam nota effigies : Quæ nititur ebria vite
Fœmina, Quique mero nutat plenissimus hausto,
Et Qui terrificos evibrat fulminis ignes,
Nomina vel taciti produnt sua. Tu quoque, Bellis
Qui præs armipotens, calamo Qui ludis agresti,
Munere pro vario statuis Qui pensa Camœnis,
Ledâ. Tu simul o raptæ Genitrix impura Lacænæ,
Haud dubium geritis ficta sub imagine nomen.

Tota bis undeno Frons emicat Ore : Latinos
Ædiculas implere Duces, implere Togatos

Class-

Classe vides gemina. ante alios en detinet Heros
Lumina, cui domita æternum dedit Africa Nomen.
Cùm miseram premeret jamjam ferus Annibal Urbem,
Scipio, tu Libycas hostem compellis in oras,
Victor & ingenti solvis formidine Romam.
Invidit servata tuis sed Roma Triumphis:
Ast Animi virtus, quæ tantum evicerat hostem,
Clarior enituit livore exercita iniquo.
Edita cælatis amor est si cernere saxis,
Ecce tibi Herculeum Series celebrata Laborum,
Semideo objecit quos vel fortuna feroci,
Vel dedit Eurystheus iræ Junonis iniquæ
Arbiter, ut mortem ærumnis Jove natus obiret.
Immensa Libycum Alcides en mole Gigantem
Sternit humi. at vires addit dum Terra cadenti,
Quid faciat? totis arreptum viribus ingens
Tollit onus, pressumque manu disrumpit inermi.
Haud procul en Nesso tentatæ Conjugis ultor
Transadigit costas. inito certamine vellit
Cornu, Acheloe, tibi. metuendo e gutture Ceti
Liberat Hesionen monstri delapsus in alvum,
Tres ubi dum soles habitat (si credere dignum est)
Viscera dilaniat Ceto: mox diripit Urbem,
Laomedon malefide, tuam mercede negata.
Tu quoque Aventino latitans Prædator in Antro
Herculeæ sentis plusquam mortalia dextræ
Robora, dum tauros abigis: non corporis ingens
Te moles, atras non ora vomentia flammas,
Non pater a tanto defendit Mulciber hoste.
Cætera si aspicias, Hospes, mens hæreat anceps,
Num fortis mirere magis dura Herculis ausa,
An priscæ vires, quæ sic expresserit, Artis:
Sive renascentis septemplex urat Echidnæ
Ille caput; Nemeæ discerpat & ungue Leonem:
Sive Erymanthæum loris devinciat Aprum;
Vinciat & Cretæ vastantem jugera Taurum:

Seu Triviæ capiat Cervam, dorſoque Mycenas
Deferat: Heſperidum ſive aurea Mala Dracone
Auferat extincto; victis & Baltea bello
Aurea Amazonibus rapiat; cædatque voraces,
Quas nutrit Stymphalus, Aves: ſeu, robore nunquam
*Diomedem. Diſtricto melius, perdat, fera monſtra, Tyrannos
Geryona, & Thraces, caput execrabile, * Regem.
Flumine purgatum pars eſt non parva Laborum
Augiæ ſtabulum. Quid quòd vel Janitor Orci
Nexu tergemino ad ſuperas educitur auras
Cerberus? at talem vivis avertite peſtem,
Numina; tartareo nam dum vomit ore venenum,
Lethifera exurgunt diris aconita novercis.
Hìc etiam ſtructis, ſumma ſed Fronte, columnis
Ecce ſedent Arcus. alte latus aſpice utrumque,
Rurſus ubi extuſi lapides. Induta Leonis
Exuvias Iole Herculeæ dum pondera Clavæ
Geſtat iners, Heros velamine tectus Amicæ,
Quin & fœminea comptus ſimul arte capillos,
Et gemmis circùm molliq; ornatus inaure
Deducit (proh turpe nefas!) en ſtamina fuſo.
Tune ille Alcides? Uxor bene fida, Puellæ
Attamen addictum te Deianira ſuperbæ
Non patitur: chlamydem, inſanos quæ extinguat amores
(Sic miſeram Neſſus moriens deceperat) inſons
En mittit. rabido ſed te chlamys illita Neſſi
Sanguine, diſcruciat, mediosque impellit in ignes.
Heu qua morte cadis! fractus vel dente Ferarum
Sterni debueras, vaſta vel mole Gigantum
Obrutus, effulti vel pondere preſſus Olympi.
Parte alia Puerum ſpiris circunligat Anguis
Laocoonte ſatum. genitrix perculſa periclo
Ecce comas laniat. reliquis, ſuccurrite Nato,
Credita Signa locis; & vos, qui ſumma tenetis,
Seu Dij ſive homines, celſæ faſtigia Frontis,
Ferte citi auxilium, placato Numine aquarum.

Quà

Qua gelidas secum Boreæ vehit halitus auras,
Tertia detineat Facies. Quod præsidet Ennæ,
Numen *, & Euterpen fulcit basis ima. togatam
Consulis effigiem Populo dare jura Quirini,
Et simul immanem videas ridere Neronem:
Heu misera! hoc ore excidium sibi Roma minantem
Horruit, injectos dum cerneret Arcibus ignes.
Aspice olympiaco fœdatos pulvere binos
Altiùs Athletas, qui partos Elide honores
Diagoræ quondam capiti imposuere, Parenti
Progenies bene grata suo. quòd vincere Phœbum
Martya certarit calamis, religatur acerno
En illic trunco: Musis divoque litandus
Carminis Auctori, en, corio persolvit amaras
Detracto pœnas. at concessisse canenti
Debueras, insane, deo. Bis dena coruscant
Desuper Heroum fortissima Pectora bino
Ordine: semideos inter meruere Latinæ
Rite locum Matres: claro sed nomine fulget
Ante alias, letho pensat quæ damna pudoris.

Latus Domus ad Septentriones ex obliquo.

* Cererem

Lucretia.

Hìc quoque cælati en Lapides. Vel turba cadenti
Ebria Sileno prestò est; thyrsosque ferentes
Orgia concelebrant nemorosa per Ismara Bacchæ.
Humano tandem vel Jupiter exuit ore
Arcadicum Hospitii violantem jura * Tyrannum,
Inque lupum vertit; melius nam lustra ferarum
Incolat, Hospitibus qui tendere possit amicis
Insidias. Libycos vel prostratura Leones
Agmina venantum Silvas indagine cingunt,
Exuviasque vovent, nemorum, tibi, Cynthia custos.
Vel quatiens de more Faces sacra fœdera jungit
Festus Hymen: Lucina fave; nam regia Nuptæ
Majestas, Sponsique decus, Pompæque nitores
Egregium ostendunt Genus alto a sanguine Avorum.
Pan deus Arcadiæ vel provocat æmula Phœbi
Carmina, nec Phrygii metuit crudelia * Vatis

*Lycaonem.

* Marsyæ.

Sup-

Supplicia. alternum Tmolo ſub judice carmen
Impavidè en calamis modulatur agreſtibus ille,
Hic citharâ. ut trepidæ Nymphæ, trepidæque Camœnæ
Numinibus timuere ſuis! Certamine tandem
Victor abit Phœbus. Stolido ſententia viſa eſt
Non tamen æqua Midæ. ſed vindice Apolline cenſor
Futilis oblongas & acutas induit aures

At reliquis præſtat Lapis hic, ubi cultus Agrorum
Vel ſignis latet arcanis, vel Perſica divo
Sacra Mithræ fiunt. En Bos procumbit in antro,
Deſinit in ſpicas cui cauda erecta: Sacerdos
Terga genu premit; & correptum naribus acto
In jugulum ferit enſe Bovem. dum ſanguinis imbrem
Excipit ore Canis, quid hianti gutture Corvus
Potantem aſpectat? Tauri ſub ventre quid Anguis
Reptat? quid Cancer morſu genitalibus hæret?
Interea Pueri geſtantes lampada Sacris
Interſunt: Cidaris, regale inſigne, Miniſtros
Obtegit, ac Myſten. Pulſa dum nocte quadrigæ
Surgentem Titana vehunt, Latonia bigis
Occidua infertur: Veneris quæ Sidus amicæ eſt,
Fax elata præit Soli, depreſſaque Lunæ.

QUA madidi pluvias effundit ſibilus Auſtri,
Te Facies poſtrema vocat. Quos aſpicis ima
Nixos ſede Viros clavas gladiosque gerentes,
Roma olim vidit Libycis concurrere Monſtris,
Cernimus immenſi fragmenta ubi vaſta Theatri:
Bacchius hic celebris famâ eſt, hæc æmula Bithi
Effigies: nullus quos vincere quiverat hoſtis,
Ambo congreſſi paribus cecidere lacertis.
Sede pari innixus dum pollice tangit Apollo
Barbiton, auguſto Trabeæ decoratus honore
En dulces avida Conſul bibit aure ſuſurros.

Latus Domus ad meridiem ex obliquo.

Hìc quoque vicenis dum ſedibus indita luſtras
Pectora Romulidûm, ſexum ne temne minorem
Laurigeros Cœtus inter, quem maſcula virtus,

In-

DEO SOLI INVICTO MITHRE

Lati
mus
ridie
obliq

Ingenii gravitas, fidei vel fama pudicæ
Heroum inſeruit numero . decus enitet ingens
Porcia : Romanum fervet nam pectore robur
Fœmineo, & patris virtus invicta Catonis .
Marmora imaginibus dum perlegis aſpera denſis,
En acie inſtructa conantes ardua vires
Hippolytes : miſeram ſed vulnere læſus acerbo
Effundit Sonipes . Curas Plutonia triſtes
Deleat ut * Conjux (quando jam fata ſub Orco *Proſerpina.
Sceptra movere jubent) lethæa per arva Draconis
Invehitur dorſo ſtygiis comitata miniſtris .
Tu quoque fulgenti lux adderis aurea Fronti ,
Culte Maro ; ſequeris qui dum felicibus auſis
Anchiſa Genitum per tot diſcrimina rerum,
Auſonia illuſtras evectam ad littora Trojam :
Nec pius Iliacæ, per te, Dux Gentis Achilli
Præconem invideat . media ſed Apollinis Aulâ
Quid reſides Muſas inter ? num Præſidis imples,
Phœbo abſente, vices ? Pomis fugientibus illic
Tantalus eſuriens inhiat, lymphasque fugaces
En quærit ſitiens . poſuit quem fercula Menſis,
Parceret at * Nato, Divûmque arcana taceret . * Pelopi .
Tu verò ante alios doceas, Lapis inclyte, quantum
Æmula naturæ ars poſſit; qui laudis amore Curtius .
Succenſum oſtentas Juvenem . Virtute Quiritum Statua equeſtris celeberrima .
Belligera petiiſſe tuas, Cocyte, paludes
Tot Manes, perhibent, ut non foret ulla Charonti,
Ulla tibi, Rhadamanthe, quies . inferna tumultu
Dum regna inſolito ſtreperent, Regina pavore
Exanimis ſtygios iterum execrata receſſus .
Æſtuat hinc Pluto furiali percitus ira :
Eumenides timuere ipſæ, timuitque furentem
Cerberus : irato quæ tanta, o Roma, paretur
Victima ? Diſcindi, vaſtaque voragine terram
Romano jubet ille Foro ſubſidere, & antrum
Non prius occludi, quàm res oppleverit, unde

Tan-

Tantum Roma poteſt. Acer dum corde ſub alto
Fervet amor Patriæ, vehemens & calcar amori
Gloria dum ſubdit, Romani inſignia Martis
Sed mage Romuleos Animos Populisque timendam
Virtutem induitur, pariliq; ardore frementi
Curtius actus Equo dat ſe (mirabile viſu)
Præcipitem, immenſo quà terra reiedit hiatu.
Qui Patriæ impendis generoſo pectore vitam,
Fortis Eques, ſtygio abſorptus moriere ſepulcro
Non totus. longum tua Gloria vivet in ævum,
Marmore dum tali celebrant tua Geſta Nepotes.

AGLAIA. Hactenus Euphroſyne. Quæ divitis Atria Molis,
Digeſta inferius ſimul & Conclavia ſervat,
Aglaia hìc læto excipiens placidiſſima vultu,
Si te Germanâ luſtrare ſub auſpice Frontes
Non piguit Tecti, jam nunc Penetralibus, Hoſpes,
Inquit, ne pigeat duce me ſuccedere. Tanto
Si Facies fulgore nitent, ſi talia brumæ,
Ventorum furiis, Hyadumq; objecta fragori,
Quæ Decora interius videas ornantia Sedes
Undique! Ne Tyrios tamen hìc tibi finge Paratus.
Ardenti obductus Paries haud emicat oſtro,
Villoſa haud rutilat ferrugine tectus & auro,
Non picturatis fulget mira arte Tapetis:
Qualia Sidoniæ patrio tinxere Puellæ
Murice, Ibera manus ſtruxit, Babylonica & olim
Pinxit acus; grato vel pectore qualia dives
Attalus emoriens Dominæ legaverat Orbis.
Talibus urbanæ ſplendent ornatibus Ædes,
Eois centum exurgunt ubi Tecta Columnis,
Qualia non olim Proceres coluere Latinis
Inſignes Trabeis. priſcæ non immemor Urbis
Tu teſtis, Tiberine Pater, Burgheſia lætus
Atria felici qui præterlaberis Urnâ.
Aſt hujus bellè decorant Penetralia Tecti
Vel Sinico variè contexta Cubilia ritu,

More

More vel Indorum paſſis Tentoria velis,
More vel Odryſio ſufferta Sedilia villis.
Ante alia hìc videas miranda Toreumata, dextræ
Signa vel Argolicæ, dextræ vel Signa Latinæ.
Veſtibulum ſubeas; ſed te ne bellica Martis
Tormenta exaniment: nam quæ ſunt hoſtibus Arma
Exitium, Hoſpitibus ſunt hæc tutamen amicis:
Nulla cruentati malefida Lycaonis Aula
Hoſpitii violat jus hìc venerabile, nulli
Aut Diomedis equi, trucis aut Buſiridis enſes.
Terreat effigies ni forte adverſa Tyranni, C. Caligula.
Cui nomen Caligæ dederant. heu! tale regendo
Tam pius ediderit monſtrum Germanicus Orbi? Capita 6. marmorea.
Haud reor: at lucem eripuit Cæſonia mentis,
Miſcuit infido dum Theſſala philtra marito.
Nec procul ipſa ſedes, Uxor nequiſſima, tantum
Faſſa nefas. illinc, formoſa o Lollia, fulges,
Pulſa Toro. juxta reſidens o Chærea, quantum
Debet Roma tibi! inflicto qui vulnere Peſtem,
Aptius addendam Furiis, demiſeris Orco.
Tu verò, latere adverſo quem Julia Patrem
Suſpicit, egregium Patriæ decus, Orbis amores,
O Tite, nil Cives metuis: quòd fugit ab aris
Victima, per ſudum intonuit quòd nuper Olympus,
Aſtra times. Flammis illic munitus & Haſtâ
Res qui Romulidûm ſervas, o Jupiter, almum Statuæ 4.
Ah tutare Caput. Supplex, Cytherea, Tonantem
Propitium da, diva, Tuis, ſi poſtera curæ eſt
Æneæ tibi Progenies. O maxima Pindi
Gloria Terpſichore, citharam quæ pectine pulſas,
Tu Patrem Patriæ, Laticis quem proluit unda
Non ſemel Aonii, ſerves ah ſupplice voto.
Tu quoque, Pan, faveas, calamos qui proximus inflas;
Fata roges meliora Tito, ſi magna daturus
Sumptibus immenſis Latiæ ſpectacula Plebi,
Captatis, jubet ille, Feris gladioque peremptis,

Hoſ

Hoſpitia eſſe tuis ſilvas tutiſſima Nymphis.
Ambitus en quanti ſe protinus explicat Atrî!
Ornamenta loco, peregrina e rupe Columnas
Columnæ marmoreæ Aſpice biſſenas: Ledæis marmora Amyclis
En defecta virent, Nomadumq; exciſa cavernis
Pallores auri, flavasq; imitantur ariſtas:
Ut fulgent vario ceu picturata colore,
Quæ juga ſaxoſæ quondam miſere Caryſti!
At vel Niliacis devecta e montibus olim,
Exhauſto phrygiæ vel Synnados eruta ab antro,
Quæ Cybelen fugiens guttis aſperſerat Atys
Sanguineis, ut ſaxa rubent! Innixa Columnis
Dextræ opera eximiæ, annalis quæ Tempora curſus,
Ac Divos referunt. clavæ, talaria, ſerpens,
Fulmina, crateres, conchæ ſua Numina produnt.
Poſtibus impoſita, egregio cælata labore,
Marmora nunc cernas. Hìc pronuba Diva jugales
Marmora cælata 6. Accendit Tædas. illic vel florea nectunt
Serta hilares Nymphæ, vel limina frondibus ornant,
Vel pedibus plaudunt geniali luce choreas.
En luteum hìc hominem fingit tali arte Prometheus,
Lumine ut attonito ſpectet, ſimul offerat ultrò
Pallas opem Artifici, ſiquid petat utile ab Aſtris
Tanto operi. actutum duce Pallade Solis ab igne
Surripit ille Facem, luteos quæ infuſa per artus
Fictum agitet corpus. Tanti pro crimine furti
Quæ mortale genus ſeries invecta malorum
Heu mox obſideat! pœnas at criminis hujus
Tu quoque perſolves opifex. te rupibus Hermes
Affiget, roſtroque cibum dabit Alitis unco
Immortale jecur. Famulos incude fatigans
Mulciber en illic bello dum ſpicula & enſes
Apparat, effuſas fatali e pyxide acerbas
Nunciat ærumnas. Ecce hìc deforme cadaver
Tollitur Hectoreum, Priamo quod nuper Achilles
Reddidit ingenti pretio. lacerata capillos

Ut dolet Andromache! ſoboles ut parvula Matri
Adgemit Aſtyanax! miſeranda ut funera plorat
Crinibus Iliadum mœſtiſſima turba ſolutis!
Haud ficta en Niobes illic e marmore imago;
Quæ pulchræ numero Sobolis tumefacta Gemellos
Latonæ irriſit, ſacrosq; optavit Honores:
Hinc Triviæ Phœbique ſimul confixa ſagittis
Vos divæ pœnas, inſontia Pignora, duras
Penditis. at veſtro Mater (vis tanta doloris!)
Obſtupet exitio ſilices imitata rigentes.
Jam tibi, quæ cineres olim ſervaverat, Urna
Fronte ſua oſtendat, tacito quid corde moveret
Germanos Althæa ferox ultura necatos.
Irata en mulier. Quem devorat ignis, obuſtum
Aſpicis hìc Ramum? repetita exordia rerum
Accipe. Dum vitæ prodit Meleagros in auras
Ex utero, infantis vitalia ſtamina Parcæ
Tam ducenda diu ſpondent, quàm Ramus ab igne
Incolumis ſteterit. ſed dum longiſſima nendi
Tædia permetuunt ſervato ſtipite, flammis
Ilicet imponunt. Genitrix at conſcia fati
Eripit ambuſtum, ſpargens ac flumine torrem
Extinguit, ſervatque diu. ſed rurſus in ignes
Nunc jacit urendum furialibus excita Diris
In ſobolem mater. ſenſim mors occupat artus,
Torre flagrante, tuos, Meleagre; & lumina ſenſim
Languidus occludis materno ſacra furori
Victima. Quid verò Cornu tua munera geſtans,
Ac de more comas hederis redimitus & uvis
In ſummo hoc recubas triſtiſſimus ore, Sepulcro,
Lætitiæ Pater alme dator? quid parvulus Infans
Adrepens gremio ceu matris ab ubere pendet?
Sed forte egregii Cultoris funera defles,
Sub te qui primis adoleverat auſpice ab annis.
Si cernas, Hoſpes, fulcris ſimulacra Virorum
Innixa, aſperſum Romano en ſanguine amictum

Cælatura admirabilis.

Bacchus.

Veterum Capita 14.

An-

Annibal. Annibal indutus; sed ne Pæana superbus
Ille canat, belli fulmen sedet inclytus ultor
P. Scipio Africanus. Scipiades juxtà. Libertas aurea postquam
Credita Consulibus periit, dum ferre priorem
Magnanimo renuit fervens in Cæsare Virtus,
Pompejus dum ferre parem; quos subdita primos
Roma Duces vel nacta pios, vel passa feroces,
J. Cæsar. Bissenos insigne refert ex ordine Marmor.
Qualis, Cæsar, eras? Animum tibi sidera tanto
Majorem Imperio dederant; sed cordibus hærens
Libertatis amor, pertæsus fræna novumque
Octau. Augustus. Jus, ficas acuit. Te rerum, Auguste, potito,
Non tamen incolumes exoptet Patria Fasces:
Tu siquidem clauso Saturnia Sæcula Jano
Tiberius, Instauras. placida felix hinc pace quiescis.
Te verò, o Tiberi, Pubes generosa Quirini
Quî potuit perferre diu, dum sæva cruore
Sæpe Aula insonti maduit? tibi pocula lucem
Eripiunt, at sera nimis. Qui perdere Cives
C. Caligula. Uno aveas ictu, o Cai, te strage cruentum
Infandâ haud patitur virtus invicta Tribuni.
Quàm bene tu regnes nisi vertat iniqua Gnathonum
Claudius. Turba tuum, Claudi, ingenium! Quæ Legibus Uxor
Ducitur invitis, Leges ultura veneno est.
Nero. Te, o Generis labes, Patriæ fatalis Erinnys,
Sæve Nero, Latias atrox quæ immisit in Arces
Ira deûm? vindex sed te tua dextera ferro
Conficit: hac una in Patriam pietate refulges.
Serg. Galba. Dum veluti socios adhibes & Honoribus auges
Immeritos, Sergi, trucibusque insanus Amicis
Arbitrium defers, iras ensesque Potentum
In te adigis. Fretus dum postulat Æmulus armis
Sylvius Otho. Imperium, sanguis ne fœdet civicus Urbem
Sponte cadis, Sylvi: testis mors pulchra, futurus
Aulus Vitellius. Qualis eras. Scelerum pœnas dabis, Aule, nefandas:
Quæ te probra manent! Solio vis æmula ab alto

Te

05.2

Te quoque detrudet, Populi inter jurgia diro
Supplicio simul extinguet. Tu moribus Orbem,
Vespasiane, reges placidis, Urbemque ruinis Vespasianus.
Cladibus immanique jugo, solabere, fractam.
Te, Tite, delicias Orbis post fata Parentis Titus.
Excipiet Roma: at, nimium te præside felix,
Ut funus viduata tuum plorabit acerbum!
Quàm tibi degeneres animi, qui clade Bonorum,
Domitiane, mades! turpi sed cæde peremptus Domitianus.
Tu quoque civiles placabis sanguine Manes.
Dum tibi se alterius pandit minor ambitus Atrî,
En porphyriacæ hinc illinc tua lumina Mensæ
Invitant. Cui Mensa subest basis instar utrinque,
Aspicis albenti duplex e marmore Signum?
Aut hoc, aut nullum naturæ ars æmula toto
Extudit ingenio: totas hîc promere vires
Jussit amor, gratoque sedens in corde voluntas.
Cerne ora, & geminum disce hinc agnoscere Gentis
Burghesiæ Lumen. Qui majestate decorus
Supra hominem fulget, summi cœlestia Regis
Sceptra vicesque gerens mortale hic intulit Astris
Arbitrium: hac PAULUM venerare in Imagine Quintũ.
Spargite purpureos, audito Nomine, Flores,
Candida cum Violis effundite Lilia, Nymphæ
Hortorum vigiles; tantumque inscribite vestris
Immortale Cedris, inciso cortice, Nomen.
Altera lux Generis jucundo hinc eminet ore
Scipio, Romulei splendor clarissimus Ostri,
Cui tanta Auctori debet primordia Moles,
Cui Decora hæc debet. Qui tanto insignia cultu
Limina perlustras, Magnum hinc metire Nepotem.
Ne totus pereat materna perditus irâ
Illustris cæso quondam * Calydonius Apro Statuæ 6.
Venator, pario reparatus corpore silvas * Meleager.
En velut exagitans rursus venabula torquet:
Ecce simul, rixæ tristissima causa, ferinum

Ante pedes immane caput. Qui nititur Ulmo,
Quæ gremio geſtat varios ex arbore fœtus,
* Euterpe. Quæq; aures (mirum Artis opus!) * Tibicina mulcet,
* Duplex. Nota oculis ſimulacra tuis. * Venus induit arma
Ecce ſuis nil apta humeris; galeamque Cupido
Porrigit. huc ingreſſa Cypris ſuffuſa pudore eſt,
Caſtumque aſcivit, ſimulata Pallade, Numen.
Fulcra vides circùm eois ornata lapillis,
Capita marmorea 8. ſed nonnulla ignota. Nixa vides ſimul ora Virûm, quos arcet ab undis
Gloria Lethæis. En parta inſigne Coronâ,
Mole tamen longe ſtudioque inſignius Artis,
Aurelî, Verique Caput. Quô damna liceret
Annorum effugere, has melius migraſtis in Ædes,
Ægypti Ptolemæe decus, lacrymabilis Helvi,
Harpaliceque ferox. Numen vel Palladis Aulâ
* Athenis. Tutius hac reſidet, ſubverſa funditus * Arce,
Unde olim Populos ſpargebat lumine Virgo.
Qui Sophiæ latices mellito effundis ab ore,
Magne Plato, ingenuis auſpex te Diva Palæſtris
(Credo equidem) propiore jubet conſidere fulcro.
Columnæ 4.e porphyrite. Si, quas purpureâ quadruplex e rupe Columna
Leda. Æſculapius. Flora. Puer Romanus prætextatus. Suſtinet, effigies cernas, te candidus Ales
(Sic Graji voluere) Jovem ſub pectore condens,
Te Baculo reptans Coluber, te Germina Veris
Edoceant, ſimul & Pueris quæ Bulla Latinis
Aurea nobilibus collo demiſſa pependit.
En porro e chalybe hìc Speculum, fatalia Civis
Arma Syracuſii. radio ſi Phœbus acuto
Oppoſitum feriat, ſolares imbibit æſtus
Organon; impreſſos dein colligit acriter ignes,
Et flexa cum luce vibrat; quæq; eminus icit,
Igne vorat. diram ſenſit Marcellus Erinnyn,
Dum nova Romuleam rapuere incendia Claſſem.

VILLÆ BURGHESIÆ

Liber Quartus.

QUantis hæ dudum fulsere paratibus Aulæ,
Quàm late hæc festo sonuerunt Atria plausu,
Excepit tanto cùm Gens Burghesia Tecto
Hospitis * adventum magni, quem Sanguine ab alto
Progenitum ficto Bavaria Nomine misit!
Arctous Libycas egit cùm ventus ad oras,
Ductorem Iliacum non sic suscepit Elisa,
Et cùm Dardanias Zephyri vertere carinas
Ad fines Erycis, non sic suscepit Aceste.

* Caroli Alberti Principis Electoralis Bavariæ sub nomine Comitis de Trausnitz.

Hinc atque hinc gradibus consurgere vidimus altis
Ingentes Abacos, nitidis fulcimina Vasis,
Quæ innumera argento structa hinc nituere vel auro,
Ceu contexta illinc tenui crystallina filo
(Artis opus Venetæ) convectaque murrhina ab Indis.
Quàm varii certa digesti sede colores
Attonitos tenuere oculos! At mira videres
Dextræ opera artificis pretium superare Metalli.
Vasorum series quot belle excusa figuris,
Dicere longa mora est. volucres, conchylia, fontes,
Quadrupedes, cymbas, numeroque carentia certo
Pocula, cumque hydriis ingenti mole lebetas
Cernere erat. claro insignes cælamine lances,
Egregia & phialis impensos arte labores
Non Myos ingenium, non sedula dextra Myronis,
Non tua vicisset laudata industria, Mentor,
Nec tua, quam tellus jactavit Sicelis, Alcon.
Vidimus insolito ast Aulas fulgore nitentes,

Cùm quater undenos lautis conſidere Menſis
Inſtructos gemino Convivas ordine rite
Vidimus illuſtres. hìc ſederat inclytus Hoſpes,
Atque Nurus, primi ceu luminis Aſtra, Latinæ;
Carolus aſt illic Albanæ Gloria Gentis,
Et Proceres alii, quos vel Bavaria magni
Hoſpitis elegit comites, vel maxima rerum
Sanguine ab egregio deduxit Roma Nepotes.
Regales Menſæ referat quæ lingua paratus?
Quæ genus omne dapis, vicibusque illata quaternis
Fercula dinumeret? Teneros præſepia fœtus,
Altilia & caveæ, cinctæque indagine raras
Alituum ſpecies & lecta animalia Silvæ,
Quin Tyrrhena ſimul delectos æquora piſces
Huc miſere ſuos; pretioſaque aromata Tellus
Indica ſuggeſſit. calathis ſua munera plenis
Undique fœcundis Pomona evexit ab hortis;
Floraque Veris opes & odoras attulit herbas.
Hæc animo fingas; at quæ ſolertia miro
Præſtitit ingenio qua mentis imagine cernas?
Singula vel tantis (faciem ſic percipe rerum)
Miranda Hoſpitibus. ſed pompa noviſſima Menſæ
Teſtis erat, quantum mortalis dextera poſſet.
Chloris, odorati tulerat quæ germina Septi,
Vertumni Coniux, dederat quæ ex arbore fructus,
Attonitis videre animis, & Veris honores
Et ſimul arboreos Bellaria fingere partus:
Quin ſic fragrantes operum dulceſque figuras
Artifices ſtruxere manus, ut victa pudore
Utraque victrici palmam conceſſerit Arti.
At quali interea maduerunt Pocula Bacchi
Munere! vicenos Tellus externa liquores
Addidit: & pretium peregrino e palmite crevit.
Præcipuos Cretæ felicia jugera ſuccos,
Atque tuæ ſuccos, fœcunda Canaria, vites
Præbuerant. celebres, quos jactat Iberia, Col'es,
Gal-

Gallia quos dives, magni quos littora Rheni,
Quos simul Hungaricis contermina terra Fodinis,
Collesque Hetrusci latices misere beatos.
Post epulas lecti Alipedes Currusque parantur:
Ante alios auro Sonipes insignis & ostro,
Nobilior tamen arte sua, spumantia mandit
Fræna moræ impatiens, fortis ceu conscius altæ;
Hospitis hic nempe excelsi vectorque futurus,
Ac munus. Jaculis de more ubi Cynthia damas
Exagitat, Proceres illuc longo agmine tendunt.
Præscia, venatu abstinuit Latonia Virgo,
Et pede præstantes Capreas & mole notavit,
Quæ Herois caderent (tenuis non gloria) dextrâ.
Testis Hamadryadum tibi sit chorus omnis, ut ictu
Magnanimus nullo Juvenis certarit inani!
Haud aliter ventura Puer proluserat olim
Ad bella Ascanius, Libyæ vel lustra peragrans
Im pavidè, aut Latiis torquens venabula Silvis.
Huc reditum. tali rursum hìc instructa paratu est
Interea Mensa, ut species haud exprimat ulla,
Fingere si verbis amor est. Imitata videres
Pomorum omnigenas pretiosa Tragemata formas,
Atque onere arboreas veluti curvantia virgas,
Et Nemoris faciem patulis referentia ramis.
Assyriæ hìc visæ sua tendere brachia Mali,
Quasque Cydon, Persis, tellus & Punica nutrit,
Ac fœtus gestare suos. ceu murice tinctæ
Aut auro hìc visæ pendere e vitibus Uvæ.
Singula lustrandi ut Procerum satiata cupido est,
Ut quisque aureolæ simulata aut pignora Citri
Carpsit, purpureos aut ficta ex vite racemos,
Itque Hospes Choreis instructam cessit in Aulam
Primorum comitante manu; ditissima rerum
Actutum Mensa hæc Domino concessa jubente
Mirandum!) immensæ Famulûm populanda catervæ;
Terque decem consumpsit opus brevis hora, dierum.

Concentu at Fidium latè dum festa sonarent
Atria, qua ductas vidisses arte Choreas
Hìc, ubi nocturno Funalia tempore visa
Ceu medium revocasse diem! cessere Latinis
Sponte sua Nuribus, Silvarum gloria, Nymphæ;
Nos Charites (cum laude tamen) concessimus ultro.
Post hæc ut totis indicta silentia Tectis,
Multiforum Lycidas buxum, vocemque paravit
Eumolpus, Dryadumque simul doctissima Daphne:
Mox hisce alternis sonuit modulatibus Aula:
„ Traditur ignoto quondam sub nomine Phœbus
Admeti pavisse greges: in collibus herbæ
Thessalicis testes, simul & Peneides undæ.
Rex ipse, Oceani tractu qui regnat in amplo,
Rex ipse, ætherio qui in vertice regnat Olympi,
Occulto quondam peragrarunt numine Terras:
Testis Hyreus, testis fido cum * conjuge Baucis. * Philemone.
Ore tamen patuere dii. sic, maxime Princeps,
Sic tua non latet ignoto sub Nomine Virtus.
„ Siquando rutilum tenuissima nubila Solem
Opposita obnubant; aut si velut invida Phœbe
(Quippe nitoris inops) objectu molis opacæ
Fraternam tentet Mortalibus abdere lucem;
Sol tamen imbuta radiis aut nube coruscat,
Extremo aut clypeo emergens sua lumina prodit.
Sic tua perlucet simulato e Nomine Virtus.
„ Magnanima o Virtus! quanto tua fulmina nupe
Quadrupedes fugere metu! non tela Dianæ
Arte vibrata pari Capreæ sensere peremptæ.
Post nemorum ludos & prævia bella ferarum
Ut magnam Æneæ Sobolem crinitus Apollo
Vidit nube sedens, volucri dum tempora ferro
Trajiceret Remulo Teucris infanda canenti;
Invitant majora tuam sic Prælia Dextram.
„ Regius Augustas ubi Lauros irrigat Ister,
Excitat Austriacus fortissima Pectora Mavors,

I

Heroumq; acres Animos per tela per ignes
Edocet egregium factis extendere Nomen,
Dum Furiis ſtimulata iterum, ſtygiisque venenis
Exaucta, horrendum Odryſii fremit ira Tyranni.
Ergo illic Patrum veſtigia quære tuorum,
Et Palmis Palmas & avitis adde Triumphos:
Illa vocant majora tuam certamina Dextram.
Cum Daphne alternâ ſic voce, Eumolpe, canebas.
Quæ Decora exornent Conclave utrinque quaternũ,
Singula tute oculis luſtrans, & ſingula pendens
Tecum animo, noſcas. nec jam comes eſſe recuſo.
Marmoreo e Signo, ſumma quod prænitet arte,
Rite ſibi aſciſcunt penetrales nomina Sedes.
Ordine SILENUS(rutilat quà Mænalis Urſa) SILENUS.
Nos prior invitat. Satyrûm mirare Magiſtrum, Cubiculum I. ex iis, quæ Septẽtriones ex obliquo ſpectant.
Qui epoto madet uſque mero. titubantia truncus
Membra regit; craſſis tumidamque vaporibus ambit
Frontem hedera; ardentes capitis nam temperat æſtus Statuæ 2.
Inſita vis hederæ. Bacchum nutantibus ulnis
En gerit infantem, dux inde futurus & altor.
Heu Puer infelix! ebrio male creditus Infans!
Jam dulces Nyſæa parent Vineta liquores,
Thracius ambroſias jam nunc paret Iſmarus Uvas:
Quin omnes fœcunda gravet vindemia colles,
Et paſſim Agricolas ſpumantia præla fatigent.
Alma tibi Peplum quamvis dea frugibus auſpex
Spicasq; & Lethes aſperſum rore papaver
Commodet, o genitrix ſævi Agrippina Neronis,
Ipſa tuo tamen ore pates. aſt æmula divæ
Tu quoque deb ueras Prolem genuiſſe regendo
Imperiis Erebo. Qui triſtia dejicis ora,
O Helenæ Raptor, num, tanti exordia Motus, Statuæ 4. exiguæ Columnis totidem inſidentes, inter quas Paris.
Judicium defles? miſeræ væ mœnibus Urbis!
In Trojam Juno, Pallas, Neptunus, Olympi
Rector & ipſe, icto nituntur fœdere, Grajis
Certatimq; animos addunt, viresque miniſtrant.

Octo Veterum Capita admiranda, inter quę Septimii Caput.

Ecce hic Romuleos Ductores emicat inter
Septimius, Latias victi cui dextera cessit
Æmula Pescenii Lauros, auxitque rebellis
Albini vis fracta Ducis; cui Parthica Pubes,
Atque Arabum virtus, ac Persidis, extulit Arcus
Victa triumphales. quæ latiùs aucta niteret
Gloria, ni maculis aspergeret ira Severum?

MAURUS.

Lydia quem cautes fingit, nos MAURUS adusta

Cubiculum II. Statuæ 3.

Excipit hinc facie. collectæ more lacernæ
Florentem aspicias onychem, zonamque lapillis
Ornatam variis, similesque nitore cothurnos.
Hæc Proles miseranda Jubæ, quam riserat olim
Cæsareo ductam Plebes Romana Triumpho.
En geminis faciem Servis ibi fingit ahenum
Plasma, alabastrites artus velaminis instar

* Domitiano.

Obtegit. emeritis num, cæso læta * Tyranno
Fratre Titi, hanc dederat mercedem Roma perennem?

Capita 6. pulcherrima. * Tiberium, & Drusum.

Compositos vittâ redimit dum Livia crines,
Augustum mirare decus. Quos marmor Ephebos
Exprimit hic bicolor, tantæ num * Pignora Matris
Esse rear? juxta residens, dic, conscia Juno;
Nam tibi sacrabat thalamos nova Nupta jugales.

GLADIATOR. Cubiculū III.

Acriter at media veluti GLADIATOR Arenâ
Congrediens spectare jubet. si hoc marmore ductam
Athletæ effigiem lustres habitumque ferocis,
Cernere quid veræ cupias spectacula Pugnæ?
Est aliquid (mirum!) quod ficta ab Imagine discat
Natura. hinc hominis Facie pugnantis ab ista
Artifices simulacra petunt. hìc terminus Arti.
Ut clypeata ictus eludit læva! mucronem
Ut valide strictum vibrat manus altera! totis
Ingruit Athletes ut nixus viribus hosti,
Conceptasq; animis atroces evomit iras
Ore, oculis! fuerat vel talis in Hectora Achillis
Impetus irati, Populos vel talis Hetruscos
Solus districto repressit acinace Cocles.

Ἀγασίας Δωσιθέου Ἐφέσιος ἐποίει.

Statuæ 3. Columnæ 4. e quibus 2. porphyretici marmoris Statuas exiguas sustinentes. Capita 7.

Dum

72-2



73-1



73-2

Dum Latia interea dira hæc certamina Pubes
Cerneret, haud iras animosq; hinc sumeret acres?
Inq; hostes per tela ferox per saxa per enses
Haud rueret? Nulli externæ cessura, Quiritum
Cogitur at quoties sibimet concedere Virtus!
Marcius * in Patriam hostiles exuscitat exul
Volscorum vires. fausto jam marte Latinos
Fundit, & ingratæ jam mœnibus imminet Urbis.
Quod non vota Patrum, quod non movet Insula, mater
Emollit lacrymis ecce una Veturia Pectus.
Ne te Abacus fugiat, cui lucida iaspis, achates,
Lactea concha, & onyx Auroræ missus ab oris,
Cærulus atque lapis, sparso qui internitet auro,
Inseritur. suffulta Abaco crystallina servat
Theca nigro de marmore opus; sed marmoris ingens
Laus superata manu: Pueros hìc ludere cernas,
Et ferulis agitare capros, ut verbere pœnas
Dent Baccho, Vites quòd lædere morsibus ausi.
Æthiopas vinclis compescere utrinque Leones
Interea cernas, Bacchi ne fræna recusent,
Utque vices servent, Currus dum pondere fessa
Tigris amat requiem, simul & Panthera, laboris.
En propè, fulgentes alterno sidere Nautis
Tyndaridæ Fratres, campi certamine POLLUX
Clarus Olympiaci, domitor sed CASTOR Equorum.
Si, manus Artificis potuit quem fingere, tantus
Germanis amor est; quidni cum Castore credas
Pollucem vitæ partitum jura perennis
Occasu alterno? Vitam sed spondet utrique
Ars immortalem. Tantâ dignissima Sede
Pectora, concordes æternùm vivite Fratres.
At tu, cui fuscum dedit ora pedesque metallum
Atque manus uncas, niveum sed marmor amictum,
Sive huc Ægypto, Scythicâ seu veneris orâ,
More Sibyllino eventus cui, Saga, futuros
Præcinis? augurio mendax quem ludis inani?

O dea;

* Coriolanus.

Bacchanal ex lapide Lydio politissima arte perfectum.

CASTOR & POLLUX. Cubiculum IV. Statuæ 5. Columnæ 2. porphyreticæ Statuas parvulas sustinentes.

O dea, cui frontem radio Lucina bicorni
Haud procul insignit, pretio Carmania summo
Cui dedit Inda * peplum, caput hoc confige sagittis:
Tu quoque, lethifera qui clavâ niteris, Heros,
Furaces perscinde dolos. at parcite, divi,
Tanto operi; quando nullis nocuere crumenis,
Nec potuere, manus. Olim quos vidit ovantes
Gens Romana Duces, Orbis vel sceptra tenentes,
Hìc etiam innixos sublimibus aspice fulcris.
Te verò excipiam, o Libycæ lux inclyta Gentis
Annibal: Ausoniæ toties licet agmina victor
Fuderis, efficta tamen hostis imagine gaudet
Roma; etenim tantæ Trasymena haud littora cladis,
Haud Cannæ testes, quantæ fuit Africa Laudis.

JAM Cœli e medio Titan quà contrahit umbras
Vertice, succedas totidem Penetralibus, Hospes.
Quod primùm subeas nitidum (procul inde profanæ
Icones effugiant; veterumque insana deorum
Abscedant figmenta Adyto) venerare SACELLUM.

ÆDE salutata, nivei te cordis imago
Detineat DAPHNE, pulcherrima Nympha, pudico
Pulchrior ast animo. Penei fluminis undas
Dum bibit illa patris, vitæ correptus amore
Delius ardescit. nemorum per devia præceps
Virgo fugit; volucri pernicior ille sagitta
Ecce hæret tergo. dum pallida Nympha Dianæ
Implorat, dein Patris opem (mirabile visu)
En radix remorata pedes, en obtegit artus
Ilicet arboreus cortex, en brachia ramos
Frondibus extendunt patulis, en Fœmina Laurus.
Artifici * vel cede novo, vel suspice mirum
Saltem opus, o Cœlo quondam gratissima Tellus,
Omnigenæ fœcunda parens Virtutis & Artis,
Græcia. Sculptorem, Dux o clarissime Teucrûm,
Tu simul ausonium celebras, dum mœnibus igne
Absumptis Trojæ, Sacra ambustosque Penates

* Ex Onyche incredibili arte elaboratum.

Capita Imperatorũ 6.

Cubicula, quæ meridiem spectant ex obliquo.

SACELLUM loco Cubiculi I.

DAPHNE. Cubiculum II.

Statuæ 4.

* Bernino, cuius opus est Daphne, omni admiratione majus.

Æneæ Statua admirabilis, ipsa quoque Bernini opus.

Col-

Colligis, atque humeris longæva ætate Parentem
Insigni pietate rapis, dum parvus eunti
Passibus haud æquis hæret, matremque Creusam
Ingemit ereptam, Romanæ semina Gentis
Ascanius. Veterum qui martia Pectora lustret,
Effigiem Bruti metuat; sed junior ætas
Cæsareo maduit nondum male grata cruore.
Hìc, ubi fulgentem cautes alabastrina Mensam
Burghesiis excisa Jugis aptavit, ahena
Palladis en facies, sonipesq; ex ære citatus,
Attica quem tellus (docuit sic fama Minores)
Effudit, Neptune, tuo percussa Tridenti.
Proxima quæ Posti, metuendum Capsula Monstrum
Occulit interius: technas si moveris Arcæ,
Protinus erumpet Stygio fœdissima rictu
Tisiphone horrendis conclave ululatibus implens;
Ceu lupus in silvis rapta cùm forte bidenti
Horrisono socias noctu ciet ore catervas:
Interea clausis pavitant in ovilibus agnæ.

Veterum Romanorum insignia Capita 9.

At fugias Erebi, Genio invitante, Ministram. GENIUS Cubiculum III.
Hunc, platano innixum cernis quem molliter ulnâ,
Pennatum Juvenem, Genium dixere Priores.
Quid verò Sceptrum dextrâ gerit? hiccine mentes
Imperio regit humanas? Dum candida rupes,
O Puer alme, tibi niveos accommodat artus,
Te Genium reor esse bonum. te præside quondam
Forte Loca hæc steterant, quæ jam volventibus annis
Burghesio ex Animo majus columenque decusque
Nacta sibi. Faciem vitreis Narcissus in undis
En miser inspectat: dum sensim in corda venenum
Instillant oculi, concepto senserit igne,
Pravus in incautos Genius quid possit Amantes.
Lydius ecce Abacus mirandæ sustinet artis,
Atque iræ portenta trucis. Timet æmula Dirce,
Ne Lycus ejectæ rursus teneatur amore
Antiopæ; hinc miseram (quid non mortalia cogis

Statuæ 4. Columnæ 2. marmoris e. gregii.

Capita Veterum 2.

Opus insigne Antonii Susini Florentini.

Pe-

Pectora, livoris rabies!) & carcere torquet,
Et profugam petit insidiis. erepta periclo
* Zethum, & Amphionē. Sed tandem Antiope Pueros enixa * gemellos.
En gemina hìc Proles, afflictam ultura Parentem,
Alligat indomito Dircen furibunda juvenco
Crinibus implicitis. quod vix imitabile servant
Artis molimen Farnesia Tecta vetustæ,
Ecce imitata recens hìc ære industria fuso est.

SENECA Cubiculum IV. Statuæ 5. Columnæ 2. Capita 6.

At subeas, ubi magnanimæ spectacula mentis
Dat Seneca emoriens. vasto dum cernis Aheno
Pertusos innare pedes, & languida sensim
Membra, abeunte anima effuso cum sanguine, solvi;
Dogmata præsenti credas dictare Neroni,
Et morti insultare Senem. Jam Matre perempta,
Quæ te alia, infelix Doctor, fortuna maneret?
E Libyco, Ænea, fugeres dum littore portans
Ilium in Italiam, fuerit quis sensus Elisæ,
Hìc docet Effigies diademate cincta capillos,
Et Tyrio velata peplo. Regalibus armis
Jam positis, David lapides (sua tela) nitentes
Expediens, fundâ quo nisu straverit hostem
In Solymos Goliath jactantem probra Maniplos,
Monstrat opus, Bernine, tuum. Dant fulcra Columnæ
Vel puero Alcidæ, geminos dum faucibus angues
Enecat elisis, ingentibus omina cœptis;
Vel puero, Lenæe, tibi, dum Tigride parva
Victor ovas capta, & Palmas proludis ad Indas.
Augurio nec fulcra vacant: sub Sole Columnas
Occiduo Alcides statuet, tu, Liber, eoo.
Postremum hìc, Hospes, duce me mirare Latinæ
Artis opus. fulvo en qualis de marmore nutrix,
* Lupa admirabilis. Romanæ unde Arces, geminorum * Bellua Fratrum!
Ut fovet expositam plenoq; alit ubere Prolem!
Dentibus infrendens diducto ut ringitur ore,
Ceu, tibi Bellipotens bene fida ministra, ferarum
Servet ab incursu Magnæ Primordia Romæ!

76-2

3-76



JAM verò, Ornamenta Domus cui credita ſummæ,
Ore nitens ſemperq; ævo jucunda virenti
Ecce ſuas ſimul ipſa vices obitura Thalia,
Supremæ ſi amor eſt, inquit, Penetralia Molis THALIA.
Viſere, & humanæ vires expendere Dextræ,
Me ſectare ducem. Radios quà Aurora diurnos
Evocat, en quinis, Hoſpes, patet arcubus alta
Porticus. hinc recrees proſpectu lumina pulchro.
En Romanus Ager, Colles, atque Oppida circùm.
Ad Boream rigidis olim regnata Sabinis
Seſe arua objiciunt: Nomenti culmina longe
Aſpice, & Ereti. Priſcis habitata Latinis
Ora ſubinde ſuos en tollit in æthera Colles.
Leniter acclivis celebres hâc Tiburis Arces,
Hâc altum Prænesſte vides; Columenque, Patrumque
Hâc Montem cernis, ſummo in diſcrimine rerum
Pars melior Latii quò convenere Senatus.
Mons ecce illuſtris, nomen cui Porcia quondam
Gens dedit; hæc Patria eſt, hæc magni Villa Catonis.
Tuſculi at inſignes extollit fama Receſſus:
Scilicet hìc Procerum tanto ſplendore coruſcant
Circà Ædes, tantoque nitent Viridaria cultu,
Ut priſcos, Luculle, tuos nova ſæcula ſumptus
Jam ſuperent. hìc deliciis Autumnus amœnis
Detinet Heroas, dulciſſima ut otia feſſas
Ad ſumma inſtaurent rerum molimina Mentes.
Vertice quæ exurgunt alto, Prætoria cernis?
Nomina Burgheſium Monti feciſſe Draconem Mondragone
Fama refert. ſuper extructas jam proſpicis Ædes,
Terrarum Dominos quanta vix mole vetuſtos
Incoluiſſe Domos credas. hoc Limine PAULUS
Excelſo æſtivos ſolitus lenire calores.
Struxerat adverſi Molem hanc in vertice Collis
Maximus Antiſtes, ſublimi e Sede vel abſens
Dilectam ut fauſto recrearet Lumine Romam.
Impatiens at viſa moræ tibi Porticus, Hoſpes,

Ex-

Statuæ 9. Columnæ 4. Mensa e porphyrite.

Explicat ornatum. Hinc jactat sua munera Chloris,
Inde Ceres. inflat calamos hìc Faunus agrestes,
Hìc alius raptos occultat fronde racemos,
Ceu sibi vim metuat; propiùs nam cernit Iacchum
In patera totum, vitis dum pignora palmis
Comprimit, iratus, siccæ quod differat alvo
Jucundos optata diu vindemia succos.
Heus, vigil hìc caveas, Hospes, ne subdolus Herme
Quidquam corradat; furax nam læva crumenam
Obtegit ablatam. quæ Patrum insania, furtis
Tutores adhibere deos? Extantia Signa,

Crater ingens marmoreus mirabili arte cælatus.

Quæ Parium mole ingenti Cratera coronant,
Quàm bene Phidiacæ immensus labor extudit Artis!
Hìc thyasis celebrant Ismenides Orgia matres,
Et Fauni circùm. en Uvis qui præsidet auspex
Servatisque Cadis, ut majestate severus
Insolitâ hìc Musæ fidibus nova metra canoris
Imperat! aonii deserto culmine Montis,
Auspice sub tanto Nysam concedite, Vates.
Indica subnixo Turres quæ Bellua dorso
Vexerat abiegnas, clarum post fata trophæum
En caput hìc servat moriens non tota. superbum
Servat & ipse caput, qui te, Neptune, per undas
Vexit Equus conchis. Alto fulcimine nixas

Veterum Capita 8.

Heroum Facies inter, nos Fascibus olim
Per septem decorata vices invitat Imago:

* C. Marius.

Hic est * Arpinas, Latio qui marte feroces
Teutonas, & Cimbros domuit, captumque Jugurthan
E Nomadum Regnis, Italæ spectacula Genti,
Traxit ovans: felix! hostem ni Roma dedisset.
Allicit ast oculos lethali cuspidis ictu
Procumbens Athleta genu: tamen ille furentes
Exuit haud animos; districtum viribus ensem
Contorquet reliquis, & formidabilis instat
Vel moriens hosti: confecto, qualia, bello,
Horruit attonitus Romana cadavera Pyrrhus.

99-1

At Cynicus (lenti fulgent quà ſidera Plauſtri)
Nos manet. Attrito reſidet Sapientis imago
Obſita palliolo. nuper grave olentis ab arcta
Egreſſus dolî cavea, ſub ſole ſenectæ
Frigora tantillum minuit. ne proximus, Hoſpes,
Hoc hominis metire oculis; nam tetra caninum
Ora ſonant: teſtis Proles invicta Philippi.
Inſigne at Cereris quid geſtas, inclyta * Coniux
Auguſti? longum inſomni pro Pignore rapto
Redde ſoporiferum Divæ, miſerata, Papaver:
Terrarum tu ſceptra geras; vel Pallada ſaltem,
Bellica geſtantem propiùs quam conſpicis arma,
Quando amor eſt, imitare Deam; ſed reddita Terris,
Auguſtus, Regina, tuus dum præſidet Orbis
Imperio, Pax alma vetat. Quid perfidus illinc
Ridet Amor, lætoque attollit brachia geſtu?
Te (reor) edomito, Mavors metuende, triumphat,
Te quoque devicto, fulva qui Pelle ſuperbis,
Monſtrorum Domitor. Cur te, * Præceptor Achillis,
Centauro ſimilem finxit delira Vetuſtas?
Inſertum ſublime tuum quis credat equinis
Artubus ingenium? Qui olim tua dogmata, Chiron,
In Silvis animo Pelides hauſerat acri,
Si Iliaco retulit celebres e pulvere Laudes,
Huic debet, fictus * qui fuſo ex ære, Columnâ
Nititur, ac Pomum (tanti fatalia Belli
Semina) fert dextrâ. tuus ille aſt Hectore Achilles
Fortior, Heroum fractus nec viribus ullis,
Exitium a molli hoc metuat Raptore Lacænæ.

Haud minus artificis dextræ, quàm clara pudici
Lux animi, vocat Androgynus. mirabile Signum,
Tu extolle Artificem; teſtis tu, Salmacis unda,
Eſto pudicitiæ. En, laxat dum membra quiete,
Quàm miro jacet ille habitu! ſed dura cubanti
Sternitur en cautes. at marmore durior * Hermes
Progeniem paſſus tali decumbere lecto?

DIOGENES Cubiculum I. ex iis, quæ Septentriones ex alto obliquè ſpectant. Statuæ 4. cum multis aliis exiguis.

* Livia.

* Chiron.

Centaurus æneus.

Columnæ 2. e viridi marmore.

* Paris.

HERMAPHRODITUS. Cubiculū II. Statuæ 3. Veterum. Capita 6.

* Mercurius.

* Venus. Passa* Aphrodita parens, cui lenis amaracus alto
Idalio & molles stravere cubilia plumæ?
Sed Venus interea nostras vicina querelas
Ridet, odoratos nardo perfusa capillos
Assyriâ, tenui faciem detersaque lino:
Abjicit elatâ en veluti sudaria dextrâ;
Obstruit en lævâ, effundat ne pyxis odorem.
Ast illic flentis Cytherea Cupidinis alas
Expoliat pennis. amor est si discere causas,
Percipe. Nocte Puer vagus huc volitavit & illuc:
Non tulit indignata Venus; nam pervigil Umbras
Obtinet alter Amor Noctisque Erebique propago:
Hinc plumas adimit. Gressus hìc siste parumper,
Trium Amorum dormientium Nexus admirabilis. Nexu tergemino Famulos ubi Mensa minores
Effulcit Veneris. Stratos mirare Puellos
Dum sopor altus habet. nempe hìc quàm sedula vires
Explicuit totas præclaro industria lusu!

Dum tibi subridens velut obvia pergit ERICHTHO,
ERICHTHO Saga Cubiculum III. Statuæ 7. Illecebris Sagæ cautus ne crede dolosis;
Namque huc Thessalicis mulier concessit ab antris
Fatorum casus longe doctura, crumenis
Veriùs at structura dolos. de more lacerna
Defluit ex humero: latitans sub veste rapaces
Læva manus parat insidias. Ubi regius amnis
Ebibitum Simois convolvit in æquora Xanthum,
Ecce Thetis gemitu effuso jam sicca liquores
Haurit flumineos conchâ: Nereida large
Flere jubet maternus amor; nam calce peremit
Confixo Natum Paris, Hectoris ultor, Achillem.
Æthiopum de gente sinu dum Fœmina gestat
Molliter hìc catulum, arreptis dumq; effera Natum
Crinibus excruciat, scelus execrare, malignæ
Nomina nec matris quæras; sed suspice circùm
Veterum Capita 7. Heroum vultus, ætatis Lumina priscæ.
Globus cœlestis. Legibus at miris obeuntia Sidera Cœlum
Visere amas? spatio in medio quem conspicis, ingens

Te

60-1

Te Globus edoceat duodena per Astra meantis
Solis iter; lucem nocti qui Circulus æquet;
Certaque Phœbeo quæ Linea utrinque sit Axi
Meta recedenti; radios qua parte faventes
Emittat Cynosura suos; qua sævus Orion,
Quaq; Hyades pluvias tempestatesque sonoras
Oceano glomerent; cœli quo vertice flammas
Ejaculatus, agros late Canis æstifer urat.
Singula dum spectas variis simulata Figuris
Sidera, commentis veniam concede vetustis.
Dum tamen Astrorum certos potuere meatus
Assiduo vigiles conatu exquirere Patres,
Ne ignari aspicerent cœlestia Signa Nepotes;
Laudibus egregium par est celebrare Laborem.

CENTAURUS. Cubiculum IV. Statuæ 4.

En tibi Centaurus juxtà, vir pectus & ora,
Cætera equus. natum, genitore Ixione, monstrum
Nubibus e fœtis, perhibent. Considere dorso
Audet Amor, loriſque manus post terga revinctum
Semiferum ingentem correpto crine gubernat
(Heu tantæ in Puero vires!) cæditque flagellis.
Hiccine erat, Lapithas contra qui viribus ornos
Immensis torquebat, Monychus? anne, decoram
Alcidæ uxorem rapidis qui fluctibus olim
Extulit Eveni, Nessus? Quis clamor ad auras
Tollitur ast illinc? Proles Niobæa Gemellos
Latonæ aspiciens miseranda cæde furentes,
Atque inimica videns in se quoque tela vibrantes,
Procumbit tremefacta genu, lacrymisque profusis
Divûm implorat opem; sed jam stridente sagitta
En cubito tegit illa caput. Qui hìc eminet inter
Ora Ducum, Macedo est, soboles generosa Philippi,
Ni velit Ammonis. Quidni mirata Vetustas
Ingentes animos Juvenis, cui bellica Virtus
Tam celebrem peperit ventura in sæcula Famam?
Orbem magnanimis unum quòd præbeat ausis,
Naturam incusat: plures at veriùs Orbes

Capita 6. Virorum illustrium.

Vincendos optet, ni debellanda superſint
Pectora Romulidûm. Ecce illic Memphiticus ori
Admovet Harpocrates digitum, ſimul optima vitæ,
Ore vel occluſo, tradit Præcepta regendæ.

SOMNUS. Cubiculũ I. ex ijs, quæ Meridiem ex alto obliquè ſpectant. Opus egregium Algardi Bononienſis ex lapide Lydio. Statuæ 5.

Qua objicitur Domus ampla Noto, jucunda Soporis
Invitat facies: Lyda de caute ſupinus
En Puer accumbit, dum feſſos occupat artus
Alta quies: augent lethæa papavera ſomnum,
Tempora quæ cingunt; humeris accommodat alas
Papilio; tacitusq; inducit ſomnia Morpheus.
Illic Paniſcos maculoſæ tergore Lyncis
Aſpice contectos, lætæ dum flore juventæ
Carmina diſparibus ſociant laſciva cicutis,
Et choreas celebrant. Illic trucis ora Neronis,

Veterum Capita 4.

Ac Tiberî aſpicias, dum longa utrique, Latino
Ex more, ætatem decorat Prætexta virentem.
Haud procul en Macedo fines obiturus Eoos
Frænat Equum nulli ſolitum parere Magiſtro:
Felix incœptis omen. Finxere Domantis
Certatim effigiem, Colli ornamenta Quirino,
Praxitelis, Phidiæque manus. Domat inclytus acres
Ductor Equos, Populosq; domat, quos undique Phœbus
Aſpicit exoriens: Victori at Gloria major,
Ipſe ſui domitor ſi effrænos vinceret æſtus.

GRATIÆ. Cubiculũ II. Statuæ 6. cum totidem minoribus. Menſa ex alabaſtrite Orientis. Capita marmorea 3.

Jam noſtro ſuccede Lari. Quod protinus, Hoſpes,
Hinc Penetrale ſubis, Charitum, pulcherrima ſedes
Hoſpitiumque Choro eſt. Artem mirare Latinam,
Tam bene quæ potuit noſtros extundere vultus
Atque habitus, quales olim placuere Pelaſgis.
Hic quæras, uno Charites cur fœdere junctæ,
Cur tres, ore hilares, ſine peplo, ætate recentes;
Quid Candoris honos, averſa quid indicet una,
Adverſis aliis. Nexu Benefacta perenni
Mutua ſint homines inter; collata, recepta,
Reddita, jucundo, ſincero pectore; ſemper
Vivida, nec ſenio ex animis deleta; nefandi

Spe

46/2 - 2

62-2



Spe data nec lucri, nec turpi fœnore. munus
Attamen ad Memorem si ex te discesserit unum,
Rite duplex ad te veniet; quod lingua rependet
Verborum officio, referet quod dextera facto.
Hìc quoque multa vides habitus referentia miros
(Artificum ingenio quantum vigilata perito!)
Marmora. præ cunctis celebrem tamen aspice Faunum, Faunus mira arte perfectus.
Qui saxo innixus calamo modulatur agresti
Carmina: sic baculo incumbens, dum pascèret hædos,
Tityrus edocuit resonare Amaryllida silvas;
Non imitabilibus quondam sic Mopsus avenis
Daphnidis interitum cecinit, cecinitque Menalcas.
Hìc simul obtutus ad se Globus allicit ingens,
Qui Oceani tractus terrarumq; explicat omnes.
En ut nil metuens horrendas æquoris iras, Globus terrestris.
Aut brevia, aut scopulos, aut vorticis ora profundi,
Nil veritus duros per inhospita saxa labores,
Aut vitæ incertos per mille pericula casus,
Europæ hìc videas felicia Regna beatæ,
Hìc Asiæ lustres amplissima Jura potentis,
Africa quæ sitiens, quæ dives America late
Sceptra tenet. Phœbi medium qui Circulus alti
Monstrat iter, graduum serie intervalla Locorum
Lata docet: spatiis quàm sint Loca dissita longis
Circulus ostendit, luces qui noctibus æquat.

Jucundo, invitans iterum, Burghesius ore SCIPIO Card. Burghesius. Cubiculum III.
Nos recreat, lumen tanti qui Nominis auget,
Scipiades. uni Sedem hanc sibi destinat æquo
Jure, Domus Auctor: Sedi splendoris abundè est
Artamen ex uno. Erecta quæ fronte coruscat
Ingenii gravitas, altæ constantia Mentis,
Atque inconcusso Romana in pectore Virtus!
Quàm rite effulsit radianti Murice! in Orbem
Quippe Bona ut Phœbus radiis importat amicis,
Intulit haud aliter Latiam Vir magnus in Urbem
Excelsi monimenta Animi, dum sorte ministrâ

Tam bene divitias Virtute ſub auſpice fudit.

M. ANTONIUS Burgheſius PAULI V. Pater.

Se tibi jam Sedes aperit poſtrema. cruenti
Ne Bruti hìc faciem, ne Gorgonis ora colubris
Horrida ſaxificis, lacerantem aut unguibus hydros
Alcmenæ ſobolem, Latiis aut Patribus olim
Matronas thalami conjunctas fœdere, luſtres;
Burgheſiæ ſed grande Domus Decus aſpice: Imago
Hæc eſt Antoni, cui Roma ornata Parenti
Pontificem debet (ſignari hoc nomine PAULUM
Jam ſentis) Si Patris honos eſt inclyta Proles,
Si Patris effigies, patriæ ſi eſt indolis hæres
Optima Progenies, ſileant jam cætera; qualis,
Hinc habeas, & quantus erat Burgheſius Heros.

Cubiculum tot Statuæ 4. exigua. Capita Veterum 4.

Plurima quæ nobis indicta abiere per omnem
Ornamenta Domum, peregrino ex orbe Columnas
Erectas paſſim, dilapſis manibus Urnas
Jam vacuas, Nomadum hìc illic de marmore Menſas,
Egregio extructas Artis conamine Thecas,
Mænadas, ac Dryadas, Satyros, ebriosque Lyæos,
Inſignes virtute Duces, & Honoribus auctos
Romuleis olim Cives, & maxima Regum
Nomina, & Auguſtos, generoſaque Pectora Matrum,
Et quæ decepti coluerunt Numina Priſci,
Nunc, Hoſpes, referens tam culta per Atria greſſus
Perlege tute oculis, Nomenque Auctoris in aſtra
Tolle libens. laudum ſi debita munera dentur
Scipiadæ *, hæc noſtro merces erit una labori.
Attamen Auctoris tantùm juſtiſſima Mentem
Ne tua magnanimam celebrent præconia; Laudis
In partem Baptiſta venit, qui temporis iræ
Sumptibus effuſis obſtat, tantisque nitorem
Eximium dextrâ tutatur vindice Rebus:
Nec parere eſt majus quàm ſit bene parta tueri.

* Card. Burgheſ.

Sic rerum memores ævi monimenta vetuſti
Evolvunt Charites, mirisq; ornatibus Ædes
Oſtendunt nitidas, factoq; hìc fine recedunt.

O Patria, hìc quæras, tanta num ſervet in Aula
Egregios ſimul ipſa ſuos Pictura Labores.
Jucundos ſi fert animus cognoſcere caſus,
Excipe. Pictorum, vel quos tulit Attica quondam,
Vel quos jampridem illuſtres dedit Itala Tellus,
Hæc olim ornabat multus Penetralia ſudor.
Hinc ergo Pictura animos tumefacta ſuperbos
Sumere. at ingentes Sculptura attollere vires
Non minus ipſa ſuas, ſimul hæc ad ſidera ferre
Marmora, & alterius præ ſe contemnere faſtum.
Ars utraque hinc litem, Cui detur Gloria princeps,
Inſtituit, ſenſimq; infando ſcommate rixam.
Res venit ad pugnam. clamoribus Aula reſultat.
Diffugiunt trepidæ Charites. lucique per umbras
Tecto finitimas Dryadum curſare videres
Agmina, & elapſas undis pede Najadas udo
Quærere perfugium. ſubito, ne crede, ſuſurro
Pana deum tantis impleſſe pavoribus unquam
Vel juga Taygeti, nemorum vel opaca Lycæi.
Excitus clamore novo ſed protinus Hermes
Opportunus adeſt; * Virgâ ſedare tumultum
Vocibus atque hiſce aggreditur: Quis pectora tantus
Veſtra furor turbat, quo vos, o, nomine dignas
Appellem? dicamne deas? ſi pulchra tueri
Ora velim, dotesque velim ſi expendere veſtras,
Vos quoque de cerebro ſummi prodiſſe Tonantis,
Pallada nec tantis celebrem natalibus unam
Eſſe, reor. Primi ſed vos vetus angit Honoris
(Quippe animus præſentit) amor. tamen inclyta vobis
Si Heroum Virtus cordi eſt, ſi debita pulchræ
Munera Virtuti, cui veſtra induſtria merces
Exoptata nimis; tantas ne vertite dextras
Altera in exitium alterius. Quæ Gloria palmæ
Hæret in ancipiti (dum nulla ætate dirempta
Lis hæc gliſcit adhuc) animos intendere veſtros
Ac vires potuit; ſummo connixa labore eſt

* Caduceo.

Nempe utraque, alterius ne cederet altera cœptis;
Et veſtra hinc tantum nacta eſt ſolertia nomen.
Ergo agite, infandis jam nunc abſiſtite rixis:
Ne tamen antiquæ finem me judice Cauſæ
Quærite: præcipuæ dum pectora Laudis utrique
Uret amor, nulla hanc dirimet ſententia litem.
Sed tandem (his memores advertite vocibus aures:
Vera ego vaticinor) felix labentibus annis
Ætas adveniet, cùm lis incerta quieſcet,
Firmaque pax animos concordi fœdere junget,
Ac vobis excelſa dabunt Capitolia ſedem,
Quæ vos excipient Magno ſub Præſide ovantes.
Vivite, & egregiis vosmet ſervate Triumphis.
Jam verò, emoto ceſſent ut fomite bella
Poſthac, venturas ſic ſtat præcidere rixas:
Effigies, Sculptura, tuas hiſce Ædibus ultrò
Concede; Urbanas Ars altera migret in Ædes.
At pictis careat Tabulis ne hæc Aula, recentes
Sollicitet Pictura manus; ætatis & artis
Sic non jure pari hoc ſedeat, non æmula, Tecto.
Sculpturæ facilem tamen hæc ſententia mentem
Eluſit: namque Artifices quo tempore Tellus
Itala non aluit ſummos? Sibi Græcia Zeuxin,
Parrhaſium, Timanthem habeat, nullique ſecundum
Protogenem, Macedûmq; uni cui pingere Regem
Fas fuit. Illuſtres famâ quin deſinat Hellas
Sculptores celebrare ſuos. ne vaſa Myronis,
Ne manibus cælata tuis carcheſia, Mentor,
Ne Polycletæis memoret fuſa æra caminis;
Phidiacum ne jactet ebur, vel marmora cælo
Praxitelis vigilata, tuo vel cæſa labore,
Cui licitum ſoli Victorem fingere Darî.
An non Lyſippos æqua nunc arte Pelaſgis
Roma ſuos certare videt, certare vetuſtis
Laude pari egregios Te, CLEMENS, Auſpice Apelles?
Siqua novos Tellus mittit peregrina colores,

Si-

Siqua Paros noſtras nova marmora mittit ad oras,
Officii memores totis jam viribus, Artes,
Interea ſæclis tanti Auſpicis Ora futuris
Edite, dum Mentem Facta immortalia mandant.
Qui modò mirabar, Signa inter priſca, recenti
Saxa extuſa manu, dum Davidis auſa ferocis,
Dum verſam Daphnen, Somnũque, Ducemque viderem,
Iliaco qui patrem humeris ſubduxit ab igne,
Jam Tabulas perluſtro oculis ex ordine pictas,
Ætatis portenta novæ. Me viva Colorum
Lumina ut oblectant! animus quot imagine Rerum
Paſcitur inſigni! At teneant licet omnia mentem,
Ante alia attonitus, variæ ſpectacula Pompæ,
Matronas, Patres (ingentia Nomina) miror.
Immenſum Campo protenditur Agmen aperto
Late auro Latiique nitens fulgoribus Oſtri:
Exhibet hoc PAULI Pompas, dum tempora cinctus
Tergemino ſacrata recens Diademate, Regni
Arbiter ætherei, Procerum comitante Caterva,
Solemnes inter plauſus & vota frequentis
Romulidûm Turbæ, Lateranam pergit ad Ædem,
Et meliore beat Capitolia celſa Triumpho.
Hìc ego, Calliopæ qui proluit ora canenti,
Optarim, Fontem, Cadmeæ flumina Dirces,
Pimpleos Latices, Charitumq; haurire liquores,
Non humilis vates. hoc tanto e Nomine ſurgit
Laudum quanta ſeges! Sed quæ locus iſte recuſat,
Forte amor impellat quondam tua dicere Geſta,
Plene Deo Antiſtes, Patriæ florentis Imago
Et Decus & Columen: Cœlo Tu dexter ab alto,
Reſpicis unde tuam majori numine Romam,
Unde pios ſervas felici Prole Nepotes,
Tu mihi (certa fides) aderis, Tu pectora vatis
Plena Tui ſacro perfundes nectare Divûm.
Hìc, ubi Pontificem rurſus manus æmula pinxit,
Præſulis exornas Fratris latus, inclyte Horati:

Tu quoque Germanum decoras, Baptiſta: Parenti
Adderis, Antoni, & Patruo decus adderis almo:
Tu ſimul. at quò me rapitis, clariſſima Gentis
Lumina, Matronæ? Stirpis ceu Sidus avitæ
Tu, Diana, micas. Nuribus documenta pudicis
Optima venturis tua præbet, Olympia, Virtus.
Sed tu cœleſti ante alias candore refulges,
Grande Decus Generis, ſæclisque, Camilla, futuris
Exemplar, (ſperare licet) lux addita Divis.
Ingentes at noſtra cient jam lumina Pompæ,
Magne Nepos Baptiſta, tuæ; cui grata merenti
Roma cupit longæ felicia ſtamina vitæ.
Poſtera quæ noſtro non ætas invida ſæclo,
Maxima quo Latii per Te ſpectacula Cives,
Quò illuſtres videre tuos, Vir magne, Triumphos?
Mirandum effinxit quod dextra imitata colore,
Carpentum (pretio cui par haud ullus ovantem
Hoſtibus edomitis Ductorem vexit in Arcem
Terrarum dominam Currus) genialibus auxit
Splendorem Thalamis, ingentemq; attulit Urbi
Lætitiam in mediis Bacchi de nomine Ludis.
Dum circunlatos Plauſtro Tela exprimit Hortos,
Auriferisque Nemus ramis, ne falſa Minores
Picturæ figmenta putent. ſine more Quirini
Suſpexit Populus miro Viridaria cultu
Heſperidum (majora fide) ſubvecta Quadrigis:
Horrendum (ſed ludus erat) per Septa Draconem
Et caput atque alas ſuffuſaque lumina flammis
Motantem vidit; cui dum Regina volucrum
Deſuper ingrueret, denſæ Bellaria Plebi
Ore vibrans, miro Burgheſia Stemmata ritu
Fulſere. Heſperidas gemmis auroque micantes
Nympharum comitata cohors. premit ordine longo
Pars Dryadum terga Alipedum, clangore tubarum
Interea exhilarans animos; pars cætera geſtat
Seu manibus Palmas, ſive aurea Poma caniſtris.

In medio late dum ſplendida Tecta videmus
Æquore Camporum, quin & dum cernimus almum
Sacrarum Cuſtodem Ovium, dum Murice tectos
Romuleo circà Proceres, Equitumque Maniplos,
Quærimus attoniti, Facies quæ ampliſſima rerum.
Ut feſſis pateat Statio bene fida Carinis
Alta ubi magnifici jam Gloria decidit Antî, Portus Neptuni.
Illuc tendit iter cœleſtis Claviger Aulæ
Primus ab Undecimo Innocuus. Burgheſia late
Quà Jura excurrunt, medios habitura per agros
Majeſtas Paſtoris iter. Ne nulla ſupremo
Opportuna quies detur per jugera Patri,
Sumptibus immenſis Burgheſius ilicet Heros
Imperat, inſignem conſurgere in æthera Molem.
Ergo oculis pictas Tela hæc quas ſubjicit Ædes
Hoſpite vel tanto dignas (ventura Nepotum
Crede ætas) trabibus fixis atque ilice ſecta
Sollicitæ ſtruxere manus. Hac ſede morantem
Conſpexit tres Roma dies (e Mœnibus ultro
Effuſa) in Terris Aſtrorum Sceptra Gerentem.
Intima qui Tecta exornant, Pictura Tapetas
Si ſimul Attalicos, ſi argenti pondera & auri,
Si ſimul immenſæ profuſa cibaria Turbæ
Ante oculos referat, congeſtas undique credas
Urbis opes: largè tamen hæc Gens una miniſtrat.
Quæ verò miranda ipſi Spectacula Romæ,
Regius Orator, tanta Vir magnus in Urbe
Ediderit par uſque ſibi, color exhibet: Artis
Exprimat egregios ſed quæ vis apta Paratus?
Attamen inſerti ut rutilant ſplendoribus auri
Ordine Quadrigæ longo! ceu dives arenas
Huc Tagus intulerit Pompas auĉturus Iberas.
Sed flavi pretium longe tranſgreſſa metalli
Quæ Currus ornant præclara Toreumata circùm,
Texere quale ſolet Chloris, ſimulantia Sertum,
Tollere quale ſolet Mavors, imitata Trophæum.

Ceu

Ceu tanto interea miramur honore ſuperbos
(Sol quales bene jungat) Equos, phalerisque nitentes
Obtextis auro, & frænis criſtisque decoros.
Bis ſex regales at dum ſpectamus Ephebos,
Ac duplici innumeros præeuntes agmine Servos,
Aureus ut Chlamydum perſtringit lumina fulgor!
Tibri pater, ſacram qui purior alluis Urbem,
Fare age, num veteres aveas ſpectare Triumphos.
Hactenus, ut licuit, pingentes Facta colores
Baptiſtæ pinxere Animos: aſt ipſa refulgent
Magnanimi nunc Ora Viri. Qui ex ordine Sumptus
Ingentes Patriæque pares ſuſpexerit, Ora
Dum videt Herois, quidni defixus in uno
Hæreat obtutu? E magnis venit inclyta Geſtis
Gloria Baptiſtæ; at Laudum celeberrima Natus.
Una ſuo æternum dare nomen idonea Patri
Progenies. toto memoranda Antonius ævo
Nempe docet ſeros Virtutum exempla Nepotes.
Splendida Majorum nec jam monimenta Minores
Longius exquirent: Laudes namque unus Avorum
Colligit, atque novum Titulis Jubar addit avitis.
Quàm bene, Roma, agitur tecum! quòd Numina votis
Arriſere tuis, dignam dum provida Nuptam
Compoſuere Viro: Genuæte, Urbs maxima, tantum
Ne pigeat debere Decus: Belloque, Togaque,
Scipiadas habet illa ſuos, habet illa Catones:
Quin ſimul ipſa tuo Heroas quot Murice claros
Enumerat! plures inter Gens Sanguine ab alto
Spinula Romuleos radianti lumine Colles
Cernis ut illuſtret? Quid quòd tibi Livia Nomen
Reddidit * auguſtum? præclari Nominis hæres
Hæc tamen haud ſolùm; Laudes imitata Latinæ eſt
Nec ſolùm celebres, ſed jam prægreſſa, Marito
Haud aliter bene digna ſuo. quin pulchra Parentem
Hanc Soboles præfert: Thalamis dignata ſuperbis
Illuſtres Druſilla ſuos jactarit * Ephebos:

*Livia enim Druſilla Uxor Auguſti fuit.

* Tiberium, & Druſum.

Aſpi-

Aſpice vota Deo lectiſſima Pignora, caſto
Lilia ubi nectunt Sponſo Guſmanides, olim
Balnea ubi Æmilii: vel qua Benedictus Alumnas
Sede regit Cœlo dignas, ubi Martius antè
Campus erat; ſacræ quò conceſſere Columbæ
Dum fugerent inimica ſuis Byzantia nidis
Littora. Germanas tamen una oſtenderit omnes
Flaminia. Inſignem vultu præferre decorem;
Fœmineo geſtare Animos in corde viriles;
Agmine Virtutum Mores & Stirpe tueri
Et Patriâ dignos; Sophiæ coluiſſe per Artes
Sublime ingenium; Linguas didiciſſe vetuſtas,
Scire novas; decimumq; Italis Decus addere Muſis;
Flaminiæ Laudes. At quæ nova gaudia Romam
Exhilarant? noſtras quis nunc lætiſſimus aures
Advehitur ſonitus, ſimul & Mavortia complet
Mœnia? quæ inſolito nova Fax ardore refulget?
Muſa mihi expedias, Tædæ cui penſa jugales,
Siquid ſpondet Hymen: tu, quæ cœleſtia luſtras,
Muſa refer, ſiquid plusquam mortale coruſcat.
Gentis Odeſcalchæ Lux ultima Livius Urbis
Liquerat auguſtæ Sedes ceſſurus in Aſtra,
Lumine pro rapto lacrymis cùm Roma profuſis
Ingemuit, mœſtâq; adiit ſic voce Tonantem:
O Pater omnipotens, caſu perculſa recenti
Solamen lacrymis unum tua Numina poſco.
Non ego, ut invertas Legum Decreta tuarum,
Huc venio ſupplex: maneant immota, ſupremo
Imperio quæcunque jubes: æterna vereri
Juſſa meum eſt. Quid ego, quid mecum debeat Orbis
Innocuo, teſtes, æquæ conſtantia Mentis,
Relligio, Pietatis amor, Sapientia, Cultus
Cura tui, validumque fero Tutamen ab Hoſte.
Cùm tandem e vivis merito ſucceſſit Olympo,
Me Patris abſceſſum fateor doluiſſe, vicemque
Rite meam: at potuit mœſtam recreare ſuperſtes

Ore

Ore ſuo, Patrui Virtutum ut Sanguinis hæres;
Livius. hoc dudum erepto ſolaminis ægræ
Nil ſupereſt. Cœlo ſiquid Gens inclyta curæ eſt,
Mortales gemitus ſiquid pia Sidera tangunt,
Invenias, Rex Magne, viam, qua Germina ademptæ
(Ni ſperare nefas) videam revireſcere Gentis;
Unde iterum ſurgant ingentia Nomina Terris,
Unde addas iterum clariſſima Lumina Cœlo:
Hoc unum tua Roma peto. Quo cuncta ſerenat,
Ilicet omnipotens Pater annuit ore roganti,
Germen & inſevit, rurſumq; exurgere Nomen
Juſſit Odeſcalchum. Sed ne rediviva Propago
Deficeret, nec Roma ſuis mœſtiſſima votis
Excideret, quærenda pari de Stirpe Marito
Uxor erat. Superûm Rex Mœnibus æthere ab alto
Lumina defigit Latiis, dumq; aſpicit amplam
Delubri Faciem, ſuprema in Fronte tuetur
Burgheſium Nomen. celebres hinc Mente recurſant
Flaminiæ dotes, niveusq; in pectore candor.
Nec mora; ſuccenſam æthereis ſplendeſcere flammis
Inſignem jubet Ille Facem, qua puriùs aſtrum
Non micat Erigones, qua, cùm ſubit aſtra Leonis,
Acriùs haud fervet Titan. Hoc Balthaſar, inquit,
Igne flagret, ſimul ipſa hoc ardeat igne Virago.
En igitur Latios quæ nunc nova gaudia Colles
Exhilarent, & quas agitet per Compita Tædas
Lætus Hymen. Floræ comites ſua munera Nymphæ
Interea nectunt, ſed non vulgaria: Chloris
Ornatura tuos, pulcherrima Nupta, capillos
Addit odoriferis caſtiſſima Lilia Myrtis,
Non quæ Amathuſiacis Paphiisve in collibus ortæ
Turpiter Idaliæ ſtravere cubilia Matri,
Sed quas Sede ſacra puriſſimus educat imber,
Atque colit cœleſtis Amor. Quodcunque Decori eſt,
Quodq; verecundi bene culto in pectore Honoris,
Et quod facundo dicentis in ore leporum eſt,

Quod

Quod Formæ egregiæ, risus quodcunque pudici,
Et placidi est uiquam generosa in Virgine moris,
Te Sophiæ Charitumque labor collegit in unam,
Quô Te, Virgo, parem Generi formaret utrique.
Texuit argento Pallas Velamen & auro,
Mira internectens pretiosos arte Lapillos,
Atque tuas vario referens emblemate Laudes:
Pinxit acu simul ipsa tui Tentoria Lecti,
Atque intertexto venturos murice Natos
Inseruit, magnosque tua de Stirpe Nepotes.
Ipsa Tibi narrabit Opus; namque unica rebus
Consiliisque futura tuis comes: ipsa pudicum
Quin Caput obnubet Tibi pronuba Pallas Alumnæ.
Tu quoque, Magne Heros, Generi lux insita claro
Spesque renascenti (propior qui Sanguine magnos
Quidni Animos Generique pares sis nactus adempto?)
Tu quoque constantis capias Virtutis Honores,
Quos Tibi non viles aptant Helicone Puellæ.
Vidimus Aonidas Flores innectere Lauro:
Purpureos tamen ætherio de semine Flores
Lauro, quam Phœbus Peneo e flumine sacrum
Detulit ad Fontem, capiti parat unde Coronas
Ipse suo, Musas Tibi nectere vidimus arte,
Balthasar, insolita: victori Munus Amori.
Vidimus Aonidas (lux hæc bene conscia, testis)
E cedro Tabulis inscribere Nomina Avorum,
Sole quibus splendet Gens utraque clariùs isto;
Quin & Progeniem, Phœbo dictante, futuram
Ex Vobis, Decora alta Togæ, vel Fulmina Martis,
Aut ramis Oleæ, aut foliis incidere Palmæ.
Cùm suprema geret faustæ seu Munera Pacis,
Munera seu Belli, Series ventura Nepotum,
Unde Duces iterum miretur Roma vetustos,
Unde simul Patres; pulcherrima Gesta Camœnæ
(Unanimis spondent votis) ad sidera tollent:
Vester erit sed primus Honos, sumpsisse Minores

Ex-

Excelsas Animi vestro de Sanguine Vires.
Vos tamen, ætherei virtus quas nectit Amoris,
Vivite, Felices Animæ. longissima Vobis
Ex auro, fessæ nunquam, vitalia Parcæ
Stamina deducant. rerum sic annuat Auctor.
Vivite: nec turbo, nec tristia nubila vestros
Ulla queant fuscare dies; at Sidera luces
Usque vehant firmâ Vobis cum pace serenas.
Et qui succendit concordia pectora dudum
Rarus Amor nullo decrescat tempore: flammas
Tam bene conceptas quin longior augeat ætas,
Augeat & senium, Sponso quo pulchra videri,
Sponsa, queas; nitido vel tunc resplendeat ore,
Quæ est Animo similis, quæ moribus æqua, Venustas.
Interea Soboles Thalamis reparata resurgat
Pulchrior e vestris, ne supplicis irrita cedant
Vota Urbis. Proles faciat Vos prima parentes
Omine propitio: natalibus Astra benigno
Auspicio faveant. Latios cernemus ovantes
(Spero equidem) Colles. quin ad cunabula Nymphæ
Undique convenient Puero sua Dona ferentes,
Et Magnum tenera agnoscent in Imagine Patrem.
Quin & lætitiâ patriis effusus ab oris
Germine pro tanto Latiis gratabitur Undis
Abdua, magnanimæ Heroas consurgere Gentis
Posse ratus, prima si Vos in Prole videbit.
Jam si Burghesios, Patriæ Decora inclyta, Fratres
Intueor, similem juvenili ætate Catonem
Fingo animis, Fabiumque, &, cui dedit Africa nomen
*Scipionem. Victa, *Ducem; Augustum simílem. Te, o prima Parentum
Effigies haud ore magis quàm mente Camille,
Te æquantem sensus primævo flore seniles
Miramur. Timidas ut non peperere columbas
Unquam Aquilæ, haud damas unquam genuere Leones.
Sic Animi hausisti generoso e Sanguine Vires
Et Patri Proavisque pares. Vis insita crescit
Plu-

Plurima, Socraticæ dum te præcepta Palæstræ
Ad Summa instituunt, dum Magni exempla Parentis
Instimulant. faciles hinc culto in pectore Mores,
Hinc gravitas, rerumq; annis Prudentia major.
Te (si talis adhuc) qualem rear inde futurum,
Mentis ubi ad cultum Europæ lustraveris Oras,
Videris & varios externa per Oppida Ritus?
Perge bonis avibus. Reducem lætissima votis
Accipiet te Roma suis. in postera surgat
Sæcla ut grande Genus per te, quos omine fausto
Lucrabit Thalamos melior Lucina jugales!
Indolis excelsæ dotes, placidissime Fratrum,
Et mentis, Franciscе, tuæ miramur acumen,
Seu te detineat Latiæ facundia Linguæ;
Aurea priscorum seu te modulamina Vatum
Alliciant; adytis seu te Natura repostis
Admittat, rerum primordia ut abdita lustres,
Concussi tremor unde soli, fons unde perennis
Emanet fluviûm, Boreæ quæ causa furenti,
Nubibus unde fragor, tantæque in fulmine vires:
Seu libeat varios Lunæ Solisque meatus
Inspicere, & variis errantia legibus Astra
Noscere: transgressum seu te jam Sidera, summam
Et rerum edoceat Causam, ceu prævia Lampas,
Regis ad æterni Solium perducat Aquinas.
Inspectis rutilum nactus jam lumen ab Astris
Perfundes roseo Colles splendore Latinos.
Nuncia qualis erit rubicunda Aurora Diei?
Herculeos, Jacobe, animos ut gymnica produnt
Bella tuos! acrem certos dum flectis in orbes
Alipedem, gressusque jubes glomerare superbos
Ad numerum; rapidis aut dum velocius Euris
Vectus Equo hastilis directa cuspide certam
Rite feris metam; vel dum subjecta Lanistæ
Imperiis strictos agitat tua dextra mucrones.
Macte esto: invitant animos jam Classica tantos,

Jam

Jam Vexilla cient. Nomen ſeu Cœtibus ingens
Des Melitæ, Ductorque ſacris in Puppibus acer
Æquora tuta velis; Patriæ ſeu Biſſonas optes
Subdere Eques, Solymasq; aveas fregiſſe catenas;
Altior interea vates e vertice Pindi
Proſpiciens tua Geſta canam. Jam Sole citato
Adveniat Lux alma! tuis qua læta Triumphis
Obvia te excipiat Genitrix, ut Livia Natum.

Ad te Magnorum properat mea muſa Parentum
Delicias, Paule, inſigni qui Nomine Gentis
* PAULUM V. Immortale * Decus præfers, & Nomine dignum
Excelſo matura dabit quem moribus ætas.
Id ſperare jubent Virtutum Semina, vultu
Quæ rutilant manifeſta tuo, jubet Indolis altæ
Majeſtas auguſta, acies & vivida mentis.
Ingenita ut Virtus ſe latius explicet olim,
Ne quæras alibi pulchræ veſtigia Laudis:
En tibi cuncta Domi præclari exempla Decori.

Tu verò interea regali ſplendida Cultu,
Hiſce ornata Opibus, tanto decorata Nitore,
Prole Virûm, quæ Animos felicius æquat Olympo,
Aucta, quid invideas Urbi, nova Roma, vetuſtæ?

FINIS.

1237

special
85-B
1672-
2

THE GETTY CENTER
LIBRARY

9220
mydc